


183

J

Schlesische Universitäts	
GRANADA	
Titel	<i>A</i>
Verfasser	<i>W</i>
Ort	
Jahr	<i>186</i>

10

3




183

J

GRANADA	
Boia	A
Moeda	12
Tabla	
Moeda	186

10

3.



del comp^{to} de^{sta} de granada R. 3970 B a

COMMENTARIUS IN CAP. INTER VERBA. XI. Q. III.

In quo de gloria, honore, laude, ac bona fama; de què in gloria, siue vituperio, infamia, & detractio, præmissio non nihil de silentio, & loquutione profundè & resolutè traditur: & quando cuiusque horum appetitio, auditio, aut dictio sit virtutis, aut vitij actus, & quæ bona, quæquè mala, mortifera, vel venialis.


COMPOSITVS PRIMVM SERMONE
Hispano anno 1544. in Inclita Conimbricensi Academia.

AVTHORE MARTINO AB AZPILCVETA
Doctore Nauarro, tunc cathedrario primæ functionis
eiusdem in sacra facultate Canonum, qui
antea fuerat eiusdem functionis in
celeberrima Salmanticensi.

AD POTENTISSIMAM, EANDEMQUE INCOMPARRABILEM
Lusitaniæ Reginam Domnam Catharinam huius nominis I.


Nunc autem anno 1584. Latinitate donatus, & nõ parũ defæcatus & auctus ab
eodem Authore in Romana Curia S. D. N. GREGORII XIII.
Sacreque ipsius in foro conscientia Penitentiariæ
obsequijs inseruiente.

Ad eundem S. D. N. Gregorium XIII. Pont. Opt. Max.



SVPERIORVM PERMISSVS


ROMÆ, In officina Iacobi Tornerij, & Iacobi Bericcbij, M.D.LXXXIV.



*Insignis forma, doctrina insignior vnus :
At superat summi cultus vtrunque Dei.*




AVTHORIS INSIGNIA GENTILICIA.



*Ex commissione Officij S^{te}
Inquisitorij huiusmodi expu-
ganda ad prescriptum Inquisi-
torij huiusmodi huiusmodi
No tenet Expungat per
el Expurgatorio de h^o*

SANCTISSIMO
D. N. GREGORIO XIII.
PONT. OPT. MAX.
MARTINVS AB AZPILCVETA
DOCTOR NAVARRVS

In ista mira gubernandi vigilantia perpetuam
perseuerantiam.




*Vo etiam hęc opuscula nouè re-
cognita, quę tractant de virtu-
tibus, & vitijs verborum, &
linguarũ: presertim circa glo-
riam & ingloriam, famam &
infamiam, laudem & vitupe-
rium, de quę finibus humanorum actuum, ex qui-
bus verborum bonitas & malitia maximè pen-
dent, audeo Beatitudini tuę, Sacratissima Pa-
ter, consecrare. Tum illa generali ratione, quòd,
ut aliàs sepe scripsi, omnia mea omni iure tibi de-
bentur: immo sunt tua. Tum quòd prius eorum
ante circiter quadraginta annos Hispano ser-
mone compositum dicaueram illi Domnæ Catha-
rina Christianissima, ac incomparabili Regina,
quę prima huius nominis persanctè, ac prudentis-*

simè regnavit in Portugallia, & nunc nouissimè
latinitate donatum dedecori duceret, ut dicare-
tur ea minori. Tum quòd, cum auctore Seneca
etiam per Christicolas recepto, duplex sit ad vir-
tutem iter, longū per præcepta, & breue per exē-
pla, rationi consentaneum videtur, ut libri per
omnes partes suas tractantes de virtutibus, &
vitijs verborum & linguarum tali summati de-
dicentur, qui plerosq. omnes in illarū virtutum ge-
nere præcellat, & à contrarijs abstineat: & (ut
loquar cum bona venia modestiæ Sæctitatis tuæ,
qua laudes præsertim præsentis ægerrimè audit)
audeo ad utilitatem publicam Urbi, & orbi sub
honoris mei periculo testari, quòd quamuis per
longam ætatem in varijs Regnis, prouincijs, aca-
demijs, & curijs versatus fuerim, nullibi tamen
vidi vllum, aut certe rarissimum principem neq;
subditū, cui tot & tanta negēt otia, quot & quā-
ta Gregorium XIII. obruunt negotia, qui tantū,
ac ipse, in hoc virtutum genere resplenderet, & à
contrarijs abstineret, quiq; adeo exacte in audiē-
do, respondendo, in tacendo, loquendo, laudando,
& vituperando seruaret ea qua tam sacri, quàm
profani Auctores in præfatis libris citati consu-
lunt, & præcipiunt in silencio & loquendo seruan-
da: tales enim libellos tanto & tali summati
dedica-

dedicare perinde fuerit, ac lectōri (ut verbis sa-
cris utar) corā præcepta virtutū ponere, & indi-
care unde copiosa sumat exēpla, perq. linguā ma-
gni siue vaniloquam in veriloquam & argenteā
septuplum purgatam christiane mutare possit, &
quadantenus domare illam veterē quod esse di-
ficile etiam Iacobus Apostolus insinuauit. Tum
denique quòd nō solum mei nominis, & cognatio-
nis meæ, & aliorum plurimorum publicè, ac pri-
uatim interest, ut per hanc dedicationem renoue-
tur in memoriam quadam apologetica epistola
mea data in fine secundi libelli ad Illustrissimum
eundemq; excellentissimū ducem Alburcherquē-
sem, qui religiosissimè semper cū tota sua Illustris-
sima familia sanctam sedem Apostolicam coluit,
præsertim cum Mediolanum sanctissimè, ac glo-
riosissimè pro Rege nostro Catholico, dum viueret,
gubernauit. Quare quàm humillimè sublimitati
tuæ, qua secundum diuinā in terris est prima, Sæ-
ctissime Pater, Rex, & Domine, supplico, ut ani-
mo (quo soles alia paupera dona sereno, benignoq;
vultu suscipere) hac quoque suscipias, in gloriam
D. N. Iesu Christi, qui te sua reipublica adeo ne-
cessarium, quàm diutissime seruet incolumen.
Amen.

G R E G O R I V S XIII.




AD FUTURAM Rei Memoriam. Cum à fœl. recordat. Pio Papa Quinto prædecessore nostro emanauerint literę tenoris subsequenti. Dilecto filio Martino ab Azpilcueta Decretorum Doctõri Pius Papa Quintus. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum à fœl. record. Paulo Papa Tertio prædecessore nostro emanarunt literę tenoris subsequenti. Dilecto filio Martino ab Azpilcueta Decretorum Doctõri, primariam cathedram Iuris Canonici in vniuersitate studij Conimbricensis actu Regenti Paulus Papa Tertius. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis exponi fecisti, vt alijs iuxta traditum tibi à Deo talentum prodesse posses, nonnullas lecturas super voluminibus Decreti, & Decretalium non sine maximis laboribus & vigilijs, ad laudem diuini nominis, cuius opę literarię rei, & Christianę Reipublicę cõsuluisse, & profecisse credis, scribendo composueris, & compilaueris, easque de proximo tuis proprijs expensis in lucem edere, & imprimi facere intendas, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, vt ibi, quod lecturę huiusmodi absque tuo consensu imprimi non possint, vt tuarum vigiliarum effectu lateris, concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos volentes te specialis gratię fauore prosequi huiusmodi supplicationibus inclinati tibi, quod ad septennium à die, quo tu lecturas prædictas imprimi feceris computandum, nullus alius per vniuersum orbem Christianum constitutus lecturas ipsas, vel illarum partem aliquam imprimere, seu imprimi facere, vel impressas in sua domo, aut alibi habere, & tenere, nec illas vendere, seu mutuo aut ex dono vel alias donare possit auctoritate Apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus: districte inhibentes in virtute sanctę obedientię, & sub excommunicationis pęna, eo ipso si contrafactum fuerit incurrenda, omnibus & singulis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, & cõditionis existentibus, & quauis Apostolica auctoritate, aut facultate fungentibus per vniuersum orbem constitutis, ne lecturas huiusmodi vel earum partem aliquam absque tuo expresso consensu, & licentia septennio prædicto duntaxat durante imprimere, seu imprimi facere, aut vendere, seu donare præsumat. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque prouinciarum, & locorum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, nec non priuilegijs, indulgijs, & litteris apostolicis quibusuis prouincijs, & illarum personis, ac vniuersitatibus, & collegijs, etiam per nos, & Sedem Apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam derogatorijs derogatorijs, vel alijs quomodolibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas

clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut exquisita forma ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alijs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud S. Petrum sub annulo piscatoris die viij. Ianuarij. M.D.XLIIII. Pontificatus nostri anno nono. Et deinde. Cum sicut nobis nuper tu exponi fecisti, sicut asseris, rogeris à multis, vt opera tua tam prius edita, quàm nondum edita, quę super iure Pontificio, & ad declarationem illius pertinentibus habes composita, typis excudi faceres, idque facere proponas vita comite, & Deo iuuante impensis tuis, & te presente, quo correctiora, auctiora, & pientiora prodeat, nobis humiliter supplicari fecisti, vt in præmissis opportune provide de benignitate apostolica dignaremur. Nos te amplioris gratię fauore prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati Apostolica auctoritate tenore presentium declaramus, intentionem nostram esse, vt prædicti Pauli prædecessoris nostri litterę, & quę de lecturis loquuntur, habeant etiam locum in alijs Commentarijs, libris, & tractatibus, quos tu edideris super ijs, quę pertinent ad prædicti iuris pontificij declarationem. Non obstantibus omnibus supradictis, quę idem Paulus prædecessor in dictis præinsertis literis voluit non obstare. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xvij. Maij M.D.LXXI. Pontificatus nostri anno sexto. Ac cum postmodum, videlicet nonis Nouembris, Pontificatus nostri anno primo, eundem Martinum specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes statuerimus, prædictoque Martino concesserimus literas fœl. record. Pauli III. & Pij V. prædecessorum nostrorum præinsertas locum habere, & se extendi in his, quę de lecturis, & alijs loquuntur in quibuscunque Cõmentarijs, & tractatibus, quę idem Martinus ediderit, super prædicti iuris Canonici declaratione, & interpretatione, & præsertim super Manuali Confessariorum, ab eo prius lingua Hispanica edito, nunc recognito, aucto, latinitateque donato. Cum autem, vt accepimus, in obsequium Dei sacrosanctęq. Sedis Apostolicę non sine magno labore duobus annis proxime præteritis idem Martinus intenderit, & in presentia intendat recognitioni operum suorum tam editorum, quàm non editorum, quo emendatiora, defecatiõra, auctiora, & utiliora effecta typis excudantur. Nos eundem Martinum amplioribus fauoribus & gratijs prosequi volentes, Motu proprio, non ad dicti Martini, aut alterius pro nobis desuper oblate petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, indultum, inhibitionem, declarationem, decretum, derogationem, aliaque omnia in præinsertis literis apostolicis & earum singulis contenta ad decem annos à Data presentium computandos, ita vt quis ea, vel illorum partem aliquam sine suo expresso ad id in scriptis consensu imprimere, vel alibi impressa dicto decennio durante vendere, aut venalia tenere, donare, aut permutare non possit Apostolica auctoritate tenore presentium prorogamus, extendimus, & ampliamus, & quemlibet

libet contrauentē censuras, & pœnas in præinsertis litteris contētas eo ipso, & absque alia declaratione incurrere. Sicq. per quoscunq. Iudices & Commissarios quavis auctoritate surgentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique iudicari, & definiiri debere: irritum quoque & inane decernimus, si secus super his à quoquā quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in omnibus supradictis litteris concessum est non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunq. Insuper quia difficile foret; presentes litteras ad quacunque loca deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus ipsarum transumptis, & exemplis, & in eisdem exemplis, lecturis, Commentarijs, Manuali, & alijs operibus huiusmodi impressis plenam, & eadem prorsus fidem ubique in iudicio & extra adhiberi, quæ originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxi. Nouembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Cæ. Glorierius.

Cum Priuilegijs amplissimis Regum Christianis. & Catholici Neapoleos, Senatus Veneti, & omnium fere Potentatuum Italiæ.



COMMENTARIUS

IN CAP. INTER VERBĀ. II. q. 3.

IN QVO DE GLORIA, HONORE, laude, ac bona fama, deq. ingloria, vituperio, infamia, & detractione, præmissis nonnihil de silentio, & loquutione profunde, & resolute traditur; quandoq. cuiusq. horum appetitio, auditio, aut dictio sit virtutis, aut vitij actus, & quæ bona, quæque mala, mortifera, vel venialis.

PROOEMIUM.



ONATVRVS latinitate illum commentarium in quoddam celeberrimum celeberrimi Gregorij elogium, iam pridem quibusdam de causis sermone Hispano compositum; in quo tractaueramus de laude, & vituperio, deque gloria, & ingloria; fama, & infamia; deque bene, maleque verborum meritis: imprimis quam humillime inuoco verbum illud supernum à patre coæterno ante secula genitum,

A

tum,

tum, & vnâ cum eodem patre ante eadem secula produ-
cens Spiritum sanctum vtrique coæuum, qui lin-
guas etiam infantium efficit disertas, cuiusque virtute
verbum caro factum est, vt gloriosissima Virgine matre
Maria, quæ ante preces necdum obsecrata fauorem do-
nat, & ad miseros maternas explicat vlnas, totam eorû
Trinitatem, eandemque indiuiduam vnitatem exo-
rante, ita explicemus verbis aptis, eisdemque sanctæ
Romanæ Ecclesiæ, cuius censuræ omnia submittimus,
probatis verborum fructum, eorundemque damnum;
quo semper defæcata, fructuosa, eique placida loqua-
mur, & audiamus. Amen.

Argumentum.



D R A E M O N E O te in primis, Christianè Lector,
quòd regenti mihi primæ functionis cathedram
in sacra Canonum facultate in academia in-
clita Conimbricensi maximo cum fauore Chri-
stianissimi Regis Ioânis Lusitanie huius nomi-
nis III. & totius regni Florentissimi; quorum
obnixo rogatu Cæsar ille gloriosissimus, & Isabella eius vxor
incomparabilis Augusta, quæ præfati Regis erat soror, me illò
Salmantica relicta eiusdem functionis cathedra misso; cum vi-
derer verbis iniuriis cuiusdam appellationis extraiudicialis læ-
sus venit in mentem dubitatio, an deberem respondere aduersa-
rio plene retaliando quantum charitas Christiana permittit; an
omnino filere quantum vera religio suadet; an medium inter
vtrunque tenere. cuius rei causa nouem præludia præfato com-
mentario hispano præmissi, quorum omnium medullam gratia
breuitatis in summam in tria infra scripta redigo.

P R I-

PRIMUM PRAELVDIVM.

S V M M A R I V M.

- 1 Loquendum regulariter lingua loquenti aptiore.
- 2 Maiora minoribus ex causa postponi.



V O' D duo prima præludia continebant ex-
cusationem, & rationem, cur in hoc com-
mentario potius sermone hispano quàm
latino loquuti fuimus; cum vnusquisque
debeat vt sermone illo, quo aptius mente
concepta Cicerone authore lib. i. officiorû.
explicare potest; & constabat longe aptius
potuisse me concepta mea de literis latinis
excerpta & imbibita, latinè quàm hispanè
proferre. Cur item edebam prius hunc
commentarium nondum promissum, & quiddam minus, quàm quæ-
dam alia promissa, & maiora; cum maiora minoribus præponi debeât,
cap. bene quidem. 96. distin. cap. quorundam. de elect. lib. 6. cum suis
gloss. pro singularibus habitis, & cap. i. 30. distin. & ibi Cardin. S. Six-
ti. & S. Thom. 2. 2. q. fin. art. 6. & quæst. 101. art. 4. & q. 117. art. 5. qualia
sunt, q̄ possunt honestè quidè donari, sed nō exigi, l. mulier bona. ff. de
iure dotium. Guido. q. 407. Est enim ratio excusandi, quòd multa sint
suo genere meliora & maiora, magisq; debita aliis; quæ tamen ob cir-
cunstancias personarum, temporum, locorum, & alias frequenter post-
poni debent, & minoris haberi, cap. nisi. de præben. cap. Lugdunensis.
9. q. 2. l. ius singulare. ff. de legibus. cap. 1. & 2. 29. distin. & S. Thom. 1.
2. q. 7. & q. 8. art. 6. & 10. & multæ circumstantiæ quas non expedit nūc
referre tunc aderant, ob quas hispana verba oportuit latinis præferre,
& postponere maiora minoribus, solutionemque debitorum iustitiæ
donationi honestæ, argum. l. vniuersas. C. de præcib. Imp. offeren. tran-
sata in q. 2. causæ 25. Caiet. 2. 2. q. 62. art. fin.

SECUNDVM PRAELVDIVM.

S V M M A R I V M.

- 1 Iniurijs verbis leso an omnino tacendum.
- 2 Silentium valde laudatum.


A 2

2 Gra-

3

4 *Comment. cap. inter verba. 11. q. 3.*

- 2 *Gratie multe ad loquendum gratis date.*
- 3 *Loquutio in se dignior silentio.*
- 4 *Silere, & loqui per se. nec bona, nec mala.*
- 4 *Loqui & tacere nec semper, nec nunquam bona.*
- 5 *Bonum & malum suo genere quid.*
- 6 *Bonum an sit vllum, quod nulla circumstantia fiat malum.*
- 6 *Tacere vel loqui quod bonum vel malum.*
- 7 *Actus omnis defectu circumstantie fit malus.*
- 8 *Alphonfus Castrensis laudatus.*
- 8 *Concordia multorum pro, & contra silentium.*

1  **V** d d continet summam aliorum quinque sequentium: An iniuria verborum laesus potius debeat omnino silere, quam pro sua innocentia quidquam respondere. Et quidem pro parte priori facit illud, Prouerb. 26. *Non respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne similis ei efficiaris.* & illud Psalmi 38. *Obmutui & humiliatus sum & silui à bonis.* Super quo quidam eruditus ait, quosdam sanctitate, & eruditione insignes; qua plus satis loquuti fuerunt, perpetuo siluisse. & illud Iacobi 1. cap. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum.* & illud vulgare, *In buccam clausam non intrat musca.* & illud latinum. *Silentium tutum premium.* & illud Horatij, *Silendo nemo peccat.* & illud Menandri. *Silentio nihil vtilius.* & illud Simonidis. *Nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.* & illud Xenocratis, *Sape loquutum me penituit siluisse nunquam.* Et quod sunt qui narrant anseres licet loquacitate nimia sint infames; quando tamen vt Grues ad hyberna transeunt ex Cilicia montem Taurum Aquilis inhabitatum, claudere arena guttura, & singulos lapides suis oribus imponere, Plinius lib. 10. cap. 23. Et quod Zeno cum aliis philosophis ad cenam Athenis inuitatus, cum in toto conuiuio tacuisset, interrogatus à quibusdam legatis quid possint de illo in sua patria narrare? respondit vidisse Athenis senem, qui inter pocula nouit tacere; significans gloriosam esse taciturnitatem, praesertim in sene sua natura loquace, & Athenis ciuitate dicacissima, & inter fecundos calices, qui vt Horatius ait in arte poetica & gloss. cap. à crapula. de vita & honest. clericor. *Neminem non fecere disertum.* Et quod Pythagoras quinquennale silentium suis discipulis indicebat, vt diuturna taciturnitate discerent recte loqui. Et quod periculosa est loquutio, iuxta illud Horatij citatum à gloss. cap. sit rector. 4. distin. *Semel emissum volat irrenocabile verbum.* & illud Iacobi 5. *Linguam nemo domare potest.*

3 Pro posteriore autem parte, scilicet quod non debeat silere omnino, nec

Secundum Praludium.

nec tacere sed respondere facit illud Prouerb. cap. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne videatur sibi sapiens.* Et quod loquutio est per se nobilior silentio, vt significatur per illa verba Psalmi 33. *Benedicam Dominum in omni tempore. semper laus eius in ore meo.* & Apostolus docet 1. ad Corinth. cap. 12. multas gratias gratis datas à Deo in illis verbis, *Alij sermo sapientiae, alij sermo scientiae.* non enim loquitur ibi Apostolus de illa scientia, & sapientia, de quibus tractant Arist. 6. Ethicorum & alij. & S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 2. nec de sapientia, & scientia, quæ sunt duo dona Spiritus sancti, apud Esaiam cap. 11. sed de gratis datis ad sermocinandum verbis efficacibus, docendo, monendo, & delectando auditores ea, quæ ad illa dona Spiritus sancti pertinent; vt erudite vterque Thom. post & ante alios 1. 2. q. 68. & 2. 2. q. 45. & q. 67. art. 1. & 2. declarat. Idem etiam significatur per eundem Apostolum 1. ad Corinth. 12. ibi. *Alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* quæ sunt aliæ duæ gratiæ gratis datæ à prefatis duabus differentes: vbi recentiores aiunt, inter gratias gratis datas computari posse illam, qua quibusdam dabatur facultas loquendi aliena lingua, quam non intelligebant. Quamuis hæ duæ postremæ nemini dentur: quia non sunt necessariae secundum S. Augustinum apud S. Thom. 2. 2. q. 107. art. 1. ad 3. Et quod Apostolis data fuerunt dona loquendi, quibus variis linguis loquebantur magnalia Dei. Et quod Concilium generale cap. inter cetera de offi. ord. sub Innocentio III. coactum significauit tam, vel magis nobis esse necessaria verba quam panis quo viuunt corpora, in hæc verba, *Inter cetera, quæ ad salutem spectant, populi Christiani pabulum verbi Dei permaxime sibi noscitur esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur: eo quod non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* facit & illud adagium, *Amyclas silentium perdidit.* Et quod prælatos (qui sunt quidam pastores) aduersus vitia non latrantes Elaias increpat appellando eos canes mutos non volentes latrare, vt pulchre D. Gregorius exposuit in cap. sit rector. 43. distin. & Ioannes Theutonicus glossematarius adiecit illum senarium Simonidis elogio contrarium, eod. cap. sit rector. 43. distin. *Nam siluisse nocet multos: silentia damnat.* Et quod qui virtutes proximi tacet, vt minoris habeatur; & qui tacet audiens detrahi proximo; quique tacens audiens suas iniurias, vt iniurians magis irascatur teste S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 3. peccat, vt infra latius repetetur, in 6. conclus. num. 6.

Pro concordia præfatorum in utranque partem allegatorum dicendum est primò, maius quiddam esse suo genere loqui, quam tacere.

4 Tum per citata pro posteriore parte. Tum quia, tacere sonat priuationem tantum, & negationem nihil ponentem; loqui vero habitum vel potentiam, & actum: & constat maius quiddam esse suo genere habere,

re,

re, quàm non habere; habitum, quàm priuationem; & facere, quàm non facere, l. si mora. vbi glos. memorabilis. ff. soluto matrimonio. Tum quia minus bonum est non male agere, & maius bene agere, iuxta illud Psalmi 33. *Declina à malo.* aut secundum aliam versionem, *cessa & fac bonum.* & tradit S. Thom. super eodem psalmo, & in 2. 2. q. 79. artic. 1. Tum quia peccatum in omittendo suo genere non est adeo magnum, ac est peccatum in committendo, arg. cap. sicut hi. 47. dist. in principio. Vnde prodiit illa iurisperitorum conclusio. maius esse delictum, quod consistit in faciendo, quàm quod consistit in non faciendo, d. l. si mora. & l. si constante. cum glos. memorab. ff. soluto matrimonio. Tum quòd Arist. 1. Politicorum, & Tullius 1. lib. officiorum, post & ante alios recepti dixerunt homines cæteris animantibus præstare facultate loquendi: cum tamen non præstent facultate tacendi, & Hesiodi est illud dictum in latinum sermonem versum.

Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens

Gratia, quæ paucis mensurat singula verbis.

5 Secundo dicendum, quòd licet loqui suo genere quiddam maius sit, quàm tacere; neutrum tamen suapte natura, & genere suo est malum, vel bonum; tum per prædicta. Tum quia id dicitur suo genere bonum, cuius obiectum ex se simpliciter consideratum conuenit rectæ rationi: Et illud dicitur suo genere malum, cuius obiectum simpliciter consideratum rectæ rationi repugnat, vt declarat S. Thom. 1. 2. q. 18. artic. 8. post & ante alios receptus; & sentit Bonifacius VIII. cap. venerabilibus. de senten. excom. lib. 6. exemplum primi generis est largitio elemosynæ, quæ simpliciter considerata consonat rationi rectæ dictanti, vt proximo egeno subueniatur: exempli secundi est hominis occisio, quæ simpliciter considerata repugnat rectæ rationi dictanti, ne male fiat proximo: licet illa & largitio elemosynæ ex circumstantiis possit fieri bona, vt S. Thom. probat 1. 2. q. 18. art. 8. & 9.

Tertio dicendum, quòd ex proximo dicto per locum à maiori ratione infertur, neque loqui neque tacere esse de genere talium malorum, quæ nullis circumstantiis possint iustificari: qualia sunt mendacium, & fornicatio, cap. primum. 2. 2. q. 2. cap. cum infirmitas. de pæn. & remiss. vt tradit S. Tho. ab aliis receptus d. art. 8. & quolib. 9. art. 15. neque de genere illorum bonorum quæ nulla circumstantia possunt fieri mala; cuius generis an inueniri possit aliquid magnæ quæstionis est: nam Ioannes Maior partem negantem tuetur in 1. lib. senten. dist. 17. q. 8. & Almainus latius omnia conuoluit, cap. 6. moral. nobis autem in præsentia magis placet sententia Maioris dicta q. 8.

6 Quarto dicendum, tunc esse loqui malum, cum tacendum est; & tunc esse tacere malum, cum loquendum est, quod satis colligitur ex illo S. Gregorij, d. cap. sit rector, 43. dist. *Sit rector discretus, in silentio utilis,*

utilis, & cautus; in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Quod ipsum sensit S. Bernardus in sermone de triplici custodia manus linguæ, & cordis, fol. 85. & S. Thom. 2. 2. q. 73. artic. 1. ad 3. & Psalmo 31. & S. Antoninus 1. par. tit. 2. cap. 4. §. 5. & S. Augustinus cap. 1. de crimine falsi, quatenus ait, *Vterq; reus est, & qui mendacium loquitur & qui veritatem occultat.* Nemo tamen credat sufficere ad bonitatem silentij, quòd taceat id quod tacendum est; neque ad bonitatem loquutionis, quòd loquatur id quod loquendum est: oportet enim præter hoc, quòd concurrant aliæ circumstantiæ, puta finis; vt scilicet in bonum finem fiant, & aliæ loci, & temporis conuenientis; & vt seruetur modus, ordo, & reuerentia, quæ deceant & loquentem, & eum quem alloquimur: quarum si aliqua desit est peccatum saltem veniale; etiam si taceamus tacenda, & loquamur loquenda, vt præ alijs vtiliter S. Antoninus docet d. 1. par. tit. 2. cap. 4. §. 5. & S. Hieronymus cap. quoties. 22. q. 5. & Gregorius d. cap. sit rector. 43. dist. sub finem antea insinuarunt: & licet nemo id diceret nec vllò textu authentico probaretur; sufficeret tamen ad id illa conclusio generalis magis nota quàm vsitata, nepe nullum opus nostrum esse bonum eo solo, quòd ex suo genere sit tale, si præfatarum circumstantiarum aliqua defuerit, vt Arist. docuit 3. ethicorum, & id S. Thom. dilatando declarat 1. 2. q. 18. art. 3. & per tot. & 7 q. 7. art. 3. Quæ conclusio obseruatu difficilis, & parua cura, quæ præfatis circumstantiis obseruandis adhibetur, potuerunt esse occasio Lutheri asserendi, omnia nostra opera esse saltem peccata venialia: qui merito damnatur ab Alphonso Castrense lib. aduersus omnes hæreses verbo opera, & alibi per eum, nostro quondam Compluti condiscipulo; nunc autem eximio verbi Dei concionatore, & egregio scriptore, & latius à Ioanne Rafense in lib. contra adserciones Lutheri. artic. 31. Glorioso Christi martyre, & ante & post illos ab alijs egregia pietate & eruditione uiris.

8 Quinto, quòd ex his infertur, Authorem & quemuis alium iniuria læsum ex circumstantiis personarum, locorum, temporum, & aliarum debere colligere; an debeat omnino tacere, ad quod durè potest salua conscientia respondere, an temperate tacendo aliqua quæ posset proferre.

Sexto, quòd illud dictum Sapientis Proverbio. 26. *Nò respondeas Stulto iuxta stultitiam suam ne similis ei efficiaris.* & aliud eiusdem, ibidem. *Responde Stulto iuxta stultitiam suam ne videatur sibi sapiens.* non sunt contraria; sed ita concilianda, vt colligitur ex S. Tho. 2. 2. q. 72. art. 3. & paulo clarius traditur infra conclus. 2. n. 11. Per quæ conciliata colligitur quæstionis supra propositæ resolutio; nempe verborum iniuria læsum non teneri ad omnino tacendum; sed posse moderate respondere: imo & nonnunquam in bonum finem debere id facere.

Septimo

Septimo, quod ex hac resolutione inferitur, quod præfacta dicta Horatii, Menandri, & Xenocratis, & id genus alia, quæ in laudem silentij sunt citata, aut possunt citari vniuersaliter intellecta esse de rigore verborum falsa: & ideo moderanda ita, vt intelligantur pro maiori parte, siue vt plurimum, siue frequentissime esse vera. Inferitur etiam tacendum quidem esse, sed non semper, sed quod quando, quare, vbi, quomodo, tacendum est, & contra non esse semper loquendum; sed quod quare, quomodo, vbi, & quando, loquendum est.

TER TIVM PRAELVDIVM.

SUMMARIUM.

1. *Consulendus quis an sit silentium, an loquendum.*
1. *Silere & loqui male consulunt mundus, caro, & demon.*
2. *Consulendus qui secundum Deum consulit & quis ille.*
2. *Legis cuius obseruantiam metus non excusat.*
3. *Fides consistenda non obstante metu mortis.*
3. *Excommunicatum alloqui metu mortis cur non est peccatum.*
4. *Excommunicandi potestas diuinitus data; sed modus vitandi excommunicatum humanitus temperatus.*
4. *Missa ab audienda, vel non audienda excusat metus mortis; nisi cum implicatur negatio fidei necessario consistenda.*

V O D continet summam duorum sequentium, & præsupposita resolutione proxime scripta, queritur quis consulendus sit ad deliberandum in casu occurrenti, vtrum eorum faciendum sit? ad quod responderetur primo, quod frequentissime hactenus consulti fuerunt, & nunc consuluntur; & vt par est credere post hac consulentur mundus, caro, & diabolus, qui maxima cum iactura, & damno animarum consulunt. Mundus quidem sic, loquendo aut tacendo illud aut illud consequeris gratiam, & fauorem principum, magnatum, vel illius aut illius: ergo id facito. & è contrario. Caro autem sic, loquendo, aut tacendo illud, aut illud hanc, vel illam corporis voluptatem, & oblectationem assequeris. Ergo id facito: & è contrario loquendo, aut tacendo illud hoc, vel illo corporis, vel animi dolore, aut molestia vexaberis. ergo id ne feceris. Diabolus autem sic, loquendo, aut tacendo illud, aut illud vlcisceris de illo, aut illo, calcabis pedibus tuis illum, aut illum. ergo id facito. & contra loquendo, aut tacendo illa, aut illa pacem, & amicitiam sibi, aut proximis compones, minues, aut augebis sibi, aut

proxi-

Tertium Præliudium.

proximis cum Deo, diuis, aut aliis. ergo id feceris: imo vindictam & irreuerentiam intra cor tuum reconde. Quo fit ut plurimis (proh dolor) amissi, & regula librandi, & perpendendi id quod loquendum, aut tacendum est sint diuitiæ & honores, quos mundus offert, vel aufert; aut voluptas, & molestia corporis, quas caro fragilis suadet, aut dissuadet; aut furiosa vindictæ, executio iræ, vel inuidiæ, & irriuerentia Dei, quas Diabolus suggerit.

Secundo responderetur hoc nullatenus esse faciendum. Tum quia contra consulentes mundum ait D. Augustinus, *Melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium.* cap. nemo peritorum. 11. q. 3. Et S. Chrylostomus, Matthæi, cap. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, ne forte propter timorem mortis non dicatis libere quod auditis.* Quinimo ipsamet veritas id clamat per Matthæum, idque infra hac ipsa quæstione venerabilis Beda, Sanctus Hieronymus & Augustinus declarant, cap. abiit. cap. existimant. cap. non solum. Tum quia contra consulentes carnem ipsa veritas Ioanne teste cap. 8. reprehendit eos, qui eam consulebant; dicens, *Vos secundum carnem iudicatis.* ut post alios ibi declarant Cardin. Caietan. & alij, & Petrum laudauit dicens. *Matth. 16. Beatus es Simon Bariona; quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed pater qui est in celis.* Tum quia contra consulentes Diabolum Saluator apud Ioannem cap. 8. ait, *Diabolus mendax est, & pater mendacij.* Et idem Ioannes Apocal. 12. ait. *Satanas seducit vniuersum orbem.* Et Papa Ioannes in cap. visis. 16. q. 2. *Mille nocendi modos habet nec astutiam eius ignoramus.* Non ergo consulendus est vnquam mundus, non caro, non Diabolus, neque vllus eorum, qui iuxta illorum mentem, & intentionem de agendis rebus deliberant & iudicant.

2. Tertio, quod consulendus est is, qui consulturus est secundum voluntatem Dei; qui nec falli, nec fallere potest, cap. à nobis. de sententia excom. quique per sapientem Ecclesiast. cap. 1. dixit. *Omnia sapientia à Domino Deo est.* à quo magna cum animi submissione petit implet præfatus sapiens, Sapient. 9. in hæc verba. *Mitte illam de celis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ; vt tecum sit, & tecum laboret; & sciam quid acceptum sit apud te.* Verum quis hic est qui conformia voluntati diuinæ consulit? Respondeo, quod sacrosancta mater Ecclesia Romana, quæ vt omnium nostrum magistra & mater veracissima libere consulit per sacram scripturam, per sacros canones, perq; facias leges, probatosque doctores, & non secundum affectus, & passiones nostras.

Ex quibus colligitur illud Innoc. III. cap. magnæ. de uoto dignissimum quod nunquam à memoria decideret, nempe in deliberando & consulendo tria esse perpendenda; scilicet an liceat secundum æquitatem; an deceat secundum honestatem; an expediat secundum utilitatem;

B

Per

Per quod elogium significatur, id quod est illicitum siue peccatum saltem veniale nullatenus esse consulendum; neque quod est licitum, sed non decet, & sapientibus grauioribusque viris displicet; etiam si alioqui sit utile. Ob quod frequenter interdum cum effectu, interdum absque illa consului multis obnixissime quærentibus modum obtinendi à iudicibus, & alijs ea quæ ardèter desiderabant sibi utilia, quærite prius à viris eruditis, Deumque timentibus an quod desideratis liceat necne, quàm modum ea obtinendi: quoniam si non licet, & est peccatum saltem veniale, nullatenus est de modo quærendi curandum: quia nullo modo quæri debeat. Ex præfatis colligitur id, quod vna pars præludij octauæ sermonis hispano compositi incidenter continebat: nempe aliquando non licere etiam metu mortis tacere quædam, vel loqui, & aliquando sic. Tum quia per prædicta loquendum, & tacendum est quando Ecclesia christiana per suas leges id præcipit; & frequenter id facit per leges, quas non licet etiam metu mortis transgredi; & frequenter per leges, à quarum implemento metus mortis excusat. Tum quia multa iubemur tacere iure naturali, & diuino, à quorum obseruantia nūquam, uel raro metus mortis absoluit, cap. sunt quidam. 25. q. 1. capitane. 32. q. 5. & gl. recepta in cap. sicut de consecr. dist. 1. multa quoque iubemur loqui, aut tacere lege humana, à cuius obseruantia ut plurimū metus mortis, imò & alia magna necessitas absoluit, ut ait Fœlix in cap. sicut. de consecr. dist. 1. & eius glos. facit cap. concedimus. de consecr. dist. 2. & cap. discipulos. de consecr. dist. 5.

3 Ex quibus infertur primo nō licere catholico interrogato ab hæreticis vel alijs infidelibus, an sit christianus vel catholicus tacere etiam metu mortis, ita ut crederetur non esse catholicus: quia lege diuina, quæ colligitur ex illo Pauli ad Romanos 10. cap. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* obligat eum ad loquendum, & confitendum sese christianum, & catholicum; ut probat S. Thomas receptus. 2. 2. q. 3. art. 2. neque contra, metu mortis loqui verba, quibus significaret se non esse christianum, vel catholicum: imo neque accipere signum aliquod in capite, vel alia parte corporis, quo infideles discernuntur à catholicis, ut pulchre annotauit Caiet. in dicto art. 2. qua in re audio multos in Gallia peccare.

4 Infertur secūdo, licere catholico metu mortis alloqui excommunicatum. Tum quod ait Innoc. cap. si vere. de sent. excommunicationis, licere catholico trāseuntem per terram hæreticorū ab eis necessaria emere, & petere. Tum quia licet potestas excommunicandi sit iure diuino tradita prælatis: & licet teneamus opinionem eorum, qui dicunt hæreticum esse iure diuino excommunicatum; forma tamen, & modus vitandi iure humano sunt inducta, ut ad saluandam extrauagantem ad euitanda, Martini V. & aliquot alia nuper diximus in Enchiridio siue

Manuali

Manuali de orat. & horis canonicis super cap. quando. de consecr. dist. 1. cap. 22. nu. 9.

Infertur & tertio, licere metu mortis non dicere, vel non audire missam: quia iustum impedimentum ab audienda ea excusat; ut latius diximus in cap. missas. de consecr. dist. 1. & in Manū. Confes. cap. 21. nu. 3. & metus mortis videtur maximum impedimentum, l. metum. ff. quod met. cau. Quod tamen intelligendum est, nisi iuberetur quis non audire, vel non dicere in contemptum missæ; vel ad significandum per hoc missam non esse faciendam, vel non continere consecrationem veri corporis Domini, ut hæretici blasphemant: quia hoc esset tacere, vel dicere aliquid contra legem diuinam: nam quamuis præceptum de audiendo, vel dicendo missam aliquibus diebus sit humanum; & ideo à faciendo ea non solum metus mortis excuset, sed etiam aliud iustum impedimentum: præceptum tamen de non tacendo, vel dicendo aliquid ad significandum non licere missare, vel in ea non confici verum sacramentum corporis Domini, est diuinum præceptum, à cuius obseruantia nullus mortis metus excusat, ut prædictum est.

Infertur & quarto singularis intellectus cuiusdam responsi celeberrimi Innoc. III. in cap. sacris. de his quæ vi metus ve causa fiunt. quatenus significat communicantem excommunicato, etiam metu mortis peccare mortaliter; nempe quod intelligitur de communicante in contemptum, vel negationem clauium, vel authoritatis excommunicantis, vel potestatis ecclesiasticæ. Quia igitur cum primis omnium iuris authorum docet Gregorius ille Magnus quid facere debeat verbis laudatus, vel vituperatus in cap. inter verba. 11. q. 3. ideo conabor explicare illud, & alia ipsam propugnantia, & impugnantia quàm vtilissime potero; dignante ipsomet, vna cum præfata Matre virgine gloriosissima Maria intercedere ad D. N. IESVM CHRISTVM, ut paradysiaco nobis aspirat ab Orbe. Amen.

112
CAP. INTER VERBA.

11. q. 3. de sumptum ex S. Gregorio Papa
lib. 8. Epistolarum, cap. 45.

INTER uerba laudantium, siue vituperantium ad mentem
semper recurrendum est: & si in ea non inuenitur bonum, quod
de nobis dicitur; magnam tristitiam generare debet: & rur-
sum si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines lo-
quuntur; in magnam debemus latitiam proflire. Quid enim si homines lau-
dent, & conscientia nos accuset? aut que debet esse tristitia, si omnes actu-
sent, & sola conscientia liberos nos esse demonstrat? Habemus Paulum di-
centem. (Gloria nostra hac est, testimonium conscientia nostra.) Iob quoque
dicit. (Ecce in caelis testis meus.) Si ergo est nobis testis in caelo, testis in
corde; dimittamus stultos foris loqui, quod volunt. Quid aliud detrahentes
faciunt, nisi in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant? ut
unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis uideant. Vocan-
di tamen etiam sunt ipsi, & tranquille admonendi, eisque satisfieri modis om-
nibus debet: scientes, quid de Iudeis veritas dicit (ne forte scandalizemus
eos.) Si autem satisfieri sibi ex veritate noluerint; habes consolationem,
quam in Sancto Euangelio conspicias. Cum enim Domino dictum fuisset (scis,
quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt.) respondit (sinite illos:
caeci sunt, & duces caecorum.) Paulus quoque Apostolus admonet, dicens
(si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.)
Dicturus quippe (cum omnibus pacem habentes,) quia difficile esse prospere-
xit, promisit (si fieri potest.) Sed tamen adiunxit, quod possit fieri, cum
dixit (quod ex vobis est,) quia si nos in mente, charitatem erga odientes ser-
uare cupimus, etsi illi nobiscum pacem non habent, nos tamen cum illis sine
dubio habemus.

Ex hoc cap. sex conclusiones colligo.

Prima non debere quem de laude falsa gaudere, sed contristari.

Secunda debere nos vituperio falso gaudere.

Tertia sufficere nobis laudem conscientiae nostrae.

Quarta laudem vnius tantum interdum parere gloriam.

Quinta licere desiderare gloriam, eaque frui.

Sexta detractionem, siue murmurationem esse peccatum.

PR-

13
PRIMA CONCLUSIO.

SUMMARIUM.

- 1 Laude de falsa non gaudendum, sed tristandum.
- 1 Laus Dei, & laus Iouis contraria.
- 1 Mendacij pater Diabolus.
- 2 Simulare se bonum, cum sit malus, peius quam esse malum.
- 2 Peccati proximi pigendum, & eius miserendum.
- 3 Laus, panegyrica, & encomium qua videri mala.
- 3 Gloria res est propria Dei.
- 4 Laude falsa, quatenus est talis, non gaudendum.
- 4 Peccato ut est aliquid, & nihil, an quis gaudere queat.
- 5 Contraria duo diuerso respectu eidem insunt, sed non eodem.
- 5 Gaudium & tristitia sunt contraria, & ut insunt eidem.
- 5 Actio displicuit passio grata fuit.
- 5 Laude falsa non gaudens gaudet precedenti, & sequenti eam.
- 6 Libros fabulosos legenti a quo cauendum.
- 6 Laudatus false princeps quare letari potest.
- 6 Peccatum minus si lateat, maius si pateat.
- 7 Credere de se aliis magis quam sibi vitium.
- 7 Laureandus, & laureans ut peccant laudando.
- 7 Papa, Rex, & Episcopus ut non peccant titulis laudati.
- 8 Laudans medicus, & laudatus egrotus ut peccant.
- 8 Medicus sic absque peccato laudet egrotum.
- 9 Debet verbum, regulariter, sed non semper, inducit obligationem.
- 10 Laudatus false cur fere semper venialiter peccat.
- 10 Laude falsa gaudens coruo Aesopico similis.
- 10 Iano excepto rarus a sania liber.
- 11 Gaudeo tuo dicto, licet mentiaris, dicere non licet.
- 11 Laus falsa male procurator, & vera ut querenda.
- 11 Lauream literariam meritam licite quis petit, sed non immeritam.
- 11 Gradus literarius, & potiora loca ut male petantur.
- 12 Laureandis, siue graduandis fauens ut peccat.
- 13 Beneficia petens in concursu, & fauens illi qui peccant.
- 13 Officia etiam secularia laude falsa qui male procurant alijs.
- 13 Competens beneficia, vel alia munera ut varie peccat.
- 13 Concurrentes Gymnasia ut peccant.
- 14 Scientia sine conscientia res diabolica.
- 14 S. Benedictus cur a scholis scienter nescius recessit.
- 14 Laudandi cur plurimum, qui competituris incunde conuiuunt, &c.

PRIMA



PRIMA quidem conclusio; scilicet nō debere quem de laude falsa gaudere, sed contristari ex huius capitis initio colligitur, quatenus habet contristari nos debere; cum dicitur inesse nobis aliquod bonū, quo caremus: si enim debemus contristari de laude falsa, non debemus gaudere de eadem: cum sit contrarium tristitiæ iuxta Arist. receptū lib. 7. Ethicor. Confirmatur eadē conclusio illo S. Gregorij elogio cap. cum multa. 86. dist. *In vno ore, cum laudibus Iouis, laudes Christi se non capiunt.* laus enim falsa laus Iouis saltem quadantenus dici potest: quia est laus mendacii, cuius pater est Diabolus. facit & illud Plutarchi elogium, *Non oportet quem voluptatem capere, cum pro graui, excelsa, ac iusto predicatur elegans & hilaris.* Confirmatur & illo Ioannis Gersonis lib. de vitiosa verecundia. 2. part. tit. 1. colum. 6. pag. 3. *Peccat qui sua vitia celat vt false laudet, quique ore aut gestu vitium quod amat, execratur, quo illud odio habere videatur.* Confirmatur etiam multiplici ratione, scilicet quod pigere nos debet, non esse adeo bonos, ac alij putant; & in hoc ipso cap. inter verba. 11. quæst. 3. sentit S. Gregorius, & quod petus est simulare se bonum cum sit malus, iuxta illud B. Augustini cap. certe. 12. q. 1. *Malum est, inquit, cadere à proposito, sed peius est simulare propositū; si non seruat sanctitatem foris dimidius cecidit; si vero intus habuerit simulationem totus.* Et q̄ debet nos omnis uanitatis pigere, iuxta illud psal. 4. *Vt quid diligitis vanitatē.* & illud psal. 9. *Auerte oculos meos ne videant vanitatē.* Et quod secundum S. Augustinum cap. tua sunt. 45. dist. & Bernardum super cant. serm. 44. Bottus. pigere nos debet peccati proximi, & ei cōpati & misereri: imo & eum interdum fraternè corrigere Math. 18. cap. nouit. de Iudiciis cap. si peccauerit. 2. q. 1. peccat enim qui false laudat. & quod vt plurimum gaudet de re deliberata, qui non dolet de illa: & gaudere de laude falsa est saltem vt plurimum peccatum.

Sex opposita huic conclusioni.



PRIMUM, quod multa extant panegyrica à uiris præstantibus scripta, in quibus fuerunt Callisthenes, Lysias, Isocrates, Plinius, & multi alij, quibus Imperatores & Reges laudarunt; tribuentes eis omnes virtutes, quas ipsorū dignitates requirebant: quæ laudatis multum placuerunt. & constat eos multis eorum caruisse, & eas quibus ornati erant non fuisse adeo egregias, ac ipsa panegyrica sonabant. At non solum non carpuntur ea, & eorum Authores; imo laudantur ipsa, & fuerunt magnis muneribus donata.

Secundum

Secundum, quod videmus quotidie scholasticos, qui ad superiores literarum gradus euehuntur, siue laureis Mynerualibus donantur, laudare cācellarios, & laurearum collatores, magistrosque suos, & Doctores tribuendo illis multa, quibus penitus carent; aut certere maiora, quam habent: & contra cancellarij, Magistri, & Doctores, laureis donandos siue (vt aiunt) graduandos magnificè laudant ob multa, quibus omnino carent; aut certe maiora his quæ habent: attamen uideamus fere omnes laudibus sibi tributis gaudere, & nullos aut raros penitere peccatorum huiusmodi gaudiis contractorum, & pauciores forte illa confiteri.

Tertium, quod uidemus Pontifices Max. pati se appellari Beatissimos & Sanctissimos; etiam si forte sciant se non esse tales, cap. 1. 40. distin. Videmus item quosdam Reges appellari Christianissimos, Ioan. Lud. de trib. liliis. Gaguinus in fine vitæ Caroli Magni, alios catholicos, omnes Serenissimos, Ioan. Lupi 4. par. 5. de iure & obtent. Reg. Nauar. gaudereque se sic vocari etiam cum nouerint se peccatis mortiferis infectos, cap. fin. 2. q. 1. & cap. quatuor. 11. q. 3. & ira uel aliis animi affectibus perturbatos interdum esse; imo & forte aliqua hæresi correptos d. cap. fin. 9. q. 1. Videmus etiam prælatos gaudere, quod appellantur Reuerendi, Reuerendissimi, & Beati, & ultra; licet nouerint se peccatores & male à populis audire: quorum tamen nulli videntur sibi peccare, nec appellati nec qui eos sic appellant.

Quartum, quod medici passim laudant egrotos, quos curant, vultum & colorem eius tali laude indignos. fictis item laudibus pedagogi puerorum animos ad bene agendum prouocant & accendunt: attamen pauci medici, & pedagogi huiusmodi, vt opinamur, sese taliū peccatorum accusant. Et Tullius in lib. de Repub. apud S. Augustinū, lib. 5. de ciuitate, cap. 13. docet alendum esse principem laude, ac gloria; nihil distinguens inter ueram, & falsam laudem.

Quintum, quod nullo iure naturali, diuino, vel humano videtur quis obligari pigere laudis sibi falso tributæ: siqua enim esset maxime foret aliqua ex quinque, quibus conclusionem nostram supra confirmauimus; quod tamen nulla necessario, si bene perpendatur, cōcludit, per id quod ad diluenda hæc opposita infra præsupponetur.

Sextum, quod hæc conclusio videtur significare à contrario sensu, posse nos laude vera nobis tributa gaudere, quod uideri potest falsum. Tum per illud S. Augustini, lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 13. *Sanius uidet, qui amorem laudis vitium esse cognoscit.* Tum per illud Pauli 2. Corinth. 10. *Qui gloriatur in Domino gloriatur: non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* super quo sic ait B. Bernard. *Nouerit Apostolus gloriam rem propriam esse Creatoris non creatura, secundum illud Esais 42. Gloriam meam alteri non dabo. sed confide-*

rauit

rauit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut uix aut nunquam ab hoc compeſci deſiderio poſſit, quippe qua ad imaginē facta eſt creatoris, propterea ſecundum datam ſibi à Deo ſapientiam ſaluberrimam adinuenit conſilium dicens quandoquidem nobis perſuaderi non poteſt non gloriari: ſaltem qui gloriatur in Domino gloriatur. hæc Bernardus.

Reſponſio ad præſata ſex oppoſita.

4



D H O N U M primum oppoſitorum reſpondetur, quòd præſata cõcluſio intelligitur de illo, qui gaudet laude falſa, quatenus eſt inordinata, uana, & mala ſaltem uenialiter: qualis eſt illa, quæ eſt mendacium, aut aſſentatio doſoſa, uel captatoria cuiuſpiam muneris, aut officij pro aliquo eo indigno; uel eſt cuiſpiam iniurioſa: non autem intelligitur de illo, qui gaudet laude falſa, quatenus eſt quædam res, ſiue quoddam ens naturaliter bonum: quoniam, ut latius diximus in Manu. Confell. præſ. 7. nume. 15. peccatum conſtat ex duobus, uidelicet ex ipſo actu, qui eſt quædam res naturalis; & ex defectu reſtitutionis, qua caret ex eo quod deuiat, & eſt contra legem, quæ carentia appellatur priuatio, inordinatio, tortuoſitas, & deformitas: & quòd quatenus eſt actus, & res merito dicitur quoddam bonum naturale iuxta illud Genef. 1. *Omnia quæ fecerat erant ualde bona.* ſed quatenus eſt defectus, & priuatio boni, dicitur malum, & nihil; ut à S. Auguſt. ſuper Ioann. qui uerbum nihil, poſitum in illo celebri dicto Ioann. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil.* exponit de peccato: quod non eſt intelligendum de peccato quo ad ipſum actum, quatenus eſt quædam res; ſed de peccato quatenus eſt inordinatio, & de eſt ei reſtitutio; ut poſt & ante alios declarat S. Thom. in lib. 2. ſent. diſt. 37. q. 1. artic. 2. Non etiam intelligitur conſcluſio de illo, qui gaudet bono uel bonis, quæ præcedunt laudem falſam, uel præſupponit illa: qualia ſunt ingenium, ars, pronuntiatio, elegantia, & modus laudantis; uel conſequuntur eam: qualis eſt monitio uirtutum, laudati officio neceſſaria, & exhortatio ad illas, & alia bona, quæ inde naſcuntur; non gaudent de ipſa laude falſa, uana, & mala, quatenus talis eſt; neque de peccato, quod laudatus, uel encomiaſtes committit in componendo, ſcribendo, uel pronuntiando panegyrium, uel encomium.

5

Nec obſtat, quòd hoc reſponſum præſupponit, poſſe quem de una & eadem re gaudere, & triftari. quod uidetur contrarium illi dicto philoſophorum, *Duo contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto.* non enim poteſt quis eſſe albus, & niger; nec bonus, & malus, ut Ariſt. in prædicamentis, & canones cap. cum renuntiat. 32. q. 1. & cap. ſi enim, de penit. diſt. 2. col. 2. & etiam leges, l. 1. C. de furſis. l. ubi repugnantia. ff. de

de

de regulis iuris, ſacræ docent. & gaudium & triftitia eodem Ariſt. authore 7. ethicor. ſunt contraria; non inquam hoc obſtat. Tum quia ſecundum aliquos philoſophos, duo contraria in gradibus remiſſis ſeſe compatiuntur: quos tamen quia non ſequimur reſpondemus aliter, quòd gaudium, & triftitia de una & eadem re diuerſo reſpectu non ſunt contraria; ut S. Thomas receptus docet 1. 2. q. 35. art. 4. & clarius in 3. par. q. 46. art. 8. uerbi gratia, triftamur de paſſione D. N. Redemptoris quatenus fuit iniurioſiſſime illata: gaudemus autem de eadem quòd fuit ab eo ſponte, miraque cum patientia ſuſcepta iuxta illud cuiuſdam gloſſ. celebriſ. cap. 1. de conſecratio. lib. 6. & S. Thomã in 2. diſtin. 40. quæſt. 1. art. 4. *Actio diſplicuit, paſſio grata fuit.* Et reſponſio noſtra non habet, quòd nemo gaudere poſſit ſimul & triftari de eadem re diuerſis reſpectibus: imò habet contrarium, ſcilicet quòd poteſt quis dolere de laude quatenus eſt mala, & peccatum; & gaudere de bonis, quæ illam præcedunt, uel quæ illa præſupponit, uel illã conſequuntur. Ob quæ aliaque; his ſimilia non ſemel admonui eos, qui cauſa uoluptatis legunt libros fabuloſos Amadis de Gaula, aut ei ſimiles; & audiunt nouas uel ueteres monomachias, ſiue duella, aut bella iniuſta; in quibus narrantur uulnera, & homicidia iniuſta, peccare quidem gaudent de iis, uel de ipſis bellis iniuſtis: quia omnia illa ſunt peccata; & eſt peccatum gaudere de peccatis, iuxta illud Pauli ad Rom. 1. & cap. notum. 2. quæſt. 1. *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus.* non autem peccant, ſi delectentur eleganti authoris uel hystoriographi ſtillo, aut uiribus, & dexteritate pugilis, & bellantis: quia non gaudent de peccatis, ſed de donis Dei, quibus illi abutuntur, & ea manifeſtant; & aliquando magis peccant, qui peccata illa ſcribunt, uel narrant. Quod ferè ipſum repetetur infra conſcluſ. 2. in reſponſione ad ſecundum oppoſitum; ubi agitur de gaudio habendo de uituperio. & in corollario primo. nu. 12.

Ex quibus ſequitur reſponſio ſpecialis ad oppoſitum; ſcilicet quòd Princeps falſo panegyrico, ſeu encomio laudatus, non peccat pulchra laudatoris arte, ingenio, & elegantia, gaudento: & quòd moneatur uirtutes dignas, quæ in Principe uiro ſplendeant; etiam ſi in ipſo non inueniantur: imò nec mea ſententia peccaret ſi laudes illas male meritus gauderet, eo quòd illæ ſint occaſio, ut ſubditi eius deſinant ſcandalizari in ipſo; putando eum non eſſe malum, aut non tantum quantum ipſi ante laudationem putabant: nam eſt nemini liceat uerbo, opere, uel alio ſigno mentiri, nec negare in ſe illa mala eſſe: licet tamen, ut honeſtum eſt, tacere illa; ut probatum eſt ſupra in quinto oppoſito: tolerabilior enim eſt culpa ſi lateat, cap. nemo. 32. q. 4. Et ſatius eſt mala noſtra abſcondere ſine mendacio, quam cum ueritate (cum eam dicere non tenemur) detegere illa, iuxta illud Eſaiæ cap. 3. *Peccatum ſuum quaſi*

C

Sodoma

Sodoma predicauerunt, & non absconderunt. super quo D. Hieron. ait, *Secundum remedium post naufragium est peccatum abscondere.* quod per supradicta est intelligendum esse faciendum absque mendacio, nec verbo nec facto mentiendo.

7 Peccat autem Princeps, si audito falso panegyrico seu encomio mentitur, significando verbo, aut facto illa esse uera, quæ non sunt talia; aut gaudet eo quatenus est laus inordinata; aut ob eam pluris se ipsum facit, quàm antea; & inflatur, imitaturque pauonem suas alas plusquam liceat pandentem, magis de se aliis quàm sibi credens; aut si ob id est negligentior in corrigenda vita mala, & infructuosa; aut maiore ad exercendam tyrannidem audaciam concipit. Quod ipsum dicendum est de panegyrici seu encomij authore, & alio quouis laudatore.

Ad secundum oppositum principale respondemus, concedendo peccare illum, qui cum confert, aut capit lauream minerualem, seu gradum literarium laudat male, aut inordinate tribuendo scienter falsa, vel mala, vel bona in malum finem, vel Deo aut proximo iniuriosa; & etiam laudatus qui scienter gaudet huiusmodi laude; præsertim si ea inflatus tumeat instar illius, qui est contentus solo pecuniæ tinnitu pro pecunia sibi tradenda, vel solo ciborum odore pro cibo ei propinãdo. At si gaudet de bono inde sequuto, vel illam præcedenti non peccat; ut in responsione ad primum est dictum, & dicitur infra conclus. 2. nume. 9.

Ad tertium respondemus, concedendo non peccare illos, qui tribuunt titulos in argumento contentos eis, qui non merentur illos; si eos tribuunt vel suscipiunt ratione dignitatis, quã habent; sed sic si dentur vel sumantur ratione personarum immeritarum: non enim peccat Papa uolendo se uocari sanctissimum, nec Rex uolendo se uocari Christianissimum, vel Catholicum; neque Episcopus uolendo se uocari beatum, &c. neque qui eos sic uocant in hunc sensum, quòd habent dignitates, quarum possessores iure deberent esse tales: peccarent autem tam uocantes quàm uocati, si appellare seu appellari uellent ratione suarum personarum; si scirent eas non esse tales: quia uocantes mentirentur, & uocati gauderent mendaciis; quorum utrunque est peccatum per hoc cap. iuncto cap. primum. 22. q. 2. per quæ conciliantur conclusio & oppositum.

8 Ad quartum respondemus, quòd quidquid dicat quidam in suo panegyrico ad Philippum, uidentur peccare tam medici, quàm pedagogi siue magistri, qui roborant & accendunt ægrotorum aut puerorum animos mentiendo: nam omne mendacium, etsi non sit perniciosum, sed officiosum vel iocosum tantum, est peccatum saltem ueniale, ut S. August. docet, in lib. de mendacio, cap. primum 22. q. 2. cum similibus. & consequenter ægrotus sciens esse mendacium peccat, si placet illud

ei:

ei: prudens tamen & bonus medicus potest vultum, & colorem ægroti talibus uerbis absque mendacio laudare, utendo uerbis generalibus, vel ambiguis in utranque partem flexibilibus; ut ægrotus credat id quod ei conuenit, iuxta quandam gloss. cap. ne quis. 22. q. 2. receptam non solum à canonistis, sed etiam à S. Tho. 2. 2. q. 110. art. 3. & q. 111. art. 1. & aliis Theologis. Quod ipsum potest facere pedagogus siue magister: & illud Tulij dictum relatum à B. August. lib. 5. de ciuitate Dei. cap. 13. damnatur ab eodem, ut ethnicum & paganum.

Ad quintum oppositum respondemus, concedendo quòd nulla ratio naturalis, diuina, nec humana, concludit Christianum communiter esse obligatum sub pœna peccati pigere falsæ laudis; ut efficaciter probat in eo citata; nec uerisimile est S. Gregoriũ uoluisse docere illud in hoc cap. inter uerba. 11. quæ st. 3. nam licet dicat, magnam tristitiam generare debet; quamuis item dictio, debet, proprie sumpta significet debitum, & obligationem ad id necessariam, ut peccet qui debet non faciendo, vel non præstando illud, gloss. singul. Panor. & Card. ibi. clem. attendentes. in principio, uerbo debet, de statu monachor. quæ tamen similitudinem habet in cap. proposuit. de appella. & cap. statutum. §. cum uero. de rescrip. lib. 6. & l. sepe audiui Cæsare. ff. de officio præsidis, facit tex. in cap. ut fama. de sententia excom. ibi. *Non solum possunt, sed debent.* sepe tamen improprie accipitur, denotatque decentiam quandam, & debitum ex honestate: ita quòd præstare illud esset opus laudabile & sanctum; non præstare autem non esset peccatum, cap. 1. de sententia excom. & cap. 1. 25. quæst. 1. uerbi gratia, filius cum peruenerit ad iustam ætatem debet ducere eam, quã uelit pater, ut Honorius III. ait, cap. 1. de desponsat. impuberum. Excommunicatus item citatus ad iudicium ob sua debita debet per alium respondere; ut docet Alexan. III. capit. intelleximus. de iudicijs. attamen nec filius peccat non ducendo eam, quam pater uult; nec excommunicatus per se respondendo, iuxta gloss. communiter receptam in d. cap. 1. de desponsat. impub. & in d. cap. intelleximus. de iudicijs. & hoc posteriori modo capit hic S. Gregorius hoc uerbum, debet, dum ait hic, debere quidem nos pigere laudis falsæ honestatis debito; sed non iustitiæ, quæ ad peccatum nos obliget: & ita quoad uitandum peccatum sufficit non gaudere de illa, licet non pigeat nos eius, non significando saltem uerbo, nec signo id de quo laudamur nobis inesse.

Ad sextum & alia duo, aut tria opposita respondebimus infra 5. conclus. nu. 1. & 46. ibidẽ decem aut duodecim conclusionibus quotidianis confessarijs penitentibusque per uilibus.

Corollaria quæ ex præfatis inferuntur.

10 **R**IMVM, ferè semper nos peccare saltem venialiter, cum false laudamur. Tum quòd ferè semper subito, vel deliberate gaudemus laude falsa, quatenus est falsa; si nobis aliàs non est prima facie nocua: cum tamen id nunquam liceat, per supradictam conclusionem, & responsionem ad primum oppositum, & determinationem S. Thomæ 2. 2. q. 131. artic. 1. Antonini 2. parte titu. 3. Abulen. Matthæ. 6. quæst. 3. & aliorum communiter doctorum, Caietan. in dicta quæst. 131. artic. 1. Maior in 2. lib. senten. distin. 42. quæst. 16. Angelus & Sylues. in summa. imo visum est Abulensi dicta quæst. 3. regulariter esse mortale, ob rationes infra relatas; vbi tamen eius dictum molimus, quantum fieri potest. Tum quòd appetentia, & cõplacencia cuiusuis laudis humanæ raro etiã vere caret peccato, iuxta illud S. August. & Bernardi citatum sup. num. 3. & infra in quinta conclus. nu. 57. vtiliter resoluitur. Tum quòd gaudere laude rei, qua caret, est sese extra querere. quod etiam Persius paganus damnat in Satyra 1. ibi. *Nete questeris extra. & in Satyra 2. ibi. Tecum habita, vt noris quam sit tibi curta supellex. Tollat sua munera Cerdo.*

Secundum, quòd non abs re iudicantur stulti, qui laudibus immeritis gaudet vt Thraso ille Teretianus, & vt coruus ille Aesopicus, cui per laudem falsam canendi sibi à vulpe datam, inflato & volenti canere excidit è rostro caseus.

Tertium, quòd non abs re dixit Persius Satyra 1.

O Ianed tergo, quem nulla cyconia pinxit,

Nec manus auriculas inuitata est mobilis albas.

significans paucos esse præter Ianum (qui fingitur habere oculos in occipite) quos non irrideant, & non subsannent aliqui à tergo mouentes in eos capita, labia, nares, vel alias corporis partes. Quot enim, & quoties præsentibus laudant prælediones, repetitiones, conciones, & orationes, sententias, gestus, dicta, & facta; & eosdem laudatos abscedentes à tergo irrident, subsannant, in fabulam que, & derisum, eos habentes; maxime vbi hæc olim scribebantur.

11 Quartum, quòd nemo in hac materia licite vitur eo adagio vulgo recepto. *Gaudeo tuo dicto, licet mētiaris.* gaudendo de falsa laude.

Quintum utilem esse illam exortationem Persij Satyra 1.

Vos ò patritius sanguis, quos uiuere fas est

Occipiti cæco postica occurrite sanæ.

Sextum peccare illum, vel illam, qui vel quæ laudari cupit de uirginitate, obedientia, aut paupertatis obseruantia, quibus caret; maxime

monacha,

monacha, quæ cum non sit uirgo desiderat pro uirgine consecrari, cap. deuotis. 20. q. 1. Simili modo peccant Doctores, & scholastici, qui laudari cupiunt apud Reges, Prælatos, Magnates, parentes, & amicos; quòd sunt studiosi & docti; cum tamen non sint tales, aut aded ac laudari volunt; maxime cum id prece aut pretio procurant: quibus simul & mihi (ne tam misere passim peccemus) omnibus maxime percipio, vt veniat in mentem illud Socratis apud Valer. Max. lib. 7. tit. sapienter dicta, qui interrogatus modum quærendi famam, respondit *Talis esse stude, qualis haberi velis.*

Septimum, uerè dixisse quandam gloss. singularem communiter receptam in clemen. 2. de magist. in uerbo honorem. probata ibi per omnes, & per Paul. Rauen. & Dec. in cap. cum in cunctis. de elect. cui concordant Archid. & Alexan. cap. 1. 48. dist. quòd quamuis liceat lauream Minerualem, siue gradum literarium, quem Magisterium, Doctoratū, Licentiaturam, vel Baccalaureatum vocant, appetere, & petere merenti eam, vt disputando S. Thom. concludit quolib. 3. art. 13. & tam per sacram Esai. 6. quàm Canonicam scripturam, cap. in scripturis. 8. quæst. 1. cap. quanto. de magist. probatur, & multiplici ratione fundatur: peccat tamen, qui eam immeritus cupit, & vt ait prædicta gloss. petit: is enim probari, & laudari cupit; cum non sit, aut pro doctiore quàm sit, quod peccatum esse mortiferum multis rationibus determinauit S. Antoninus 2. part. titu. 3. cap. 5. §. 6. addens aliud, quod est magni momenti; nempe & eos qui eam merentur peccare mortaliter, si eam cupiant & petunt principaliter in honorem suum, uel lucrum bonorum temporalium, & non principaliter ad honorandum Deum, eidemque seruiendum; multis rationibus, ad id motus. cui fauet quoddam venerabilis Bedæ dictum in cap. non solum. 1. q. 3. quod infra in 5. conclus. temperabitur.

Octauum corollarium, grauissime item peccare illos, qui cum aliquã lauream Minerualem cupiunt assumere, & vident eam sibi iure non collatam iri, absque aliquo magis studendi onere, nihil non agunt quo eis absolute, sine onere villo conferatur. Tum quia cõtra iustitiam laudem falsam cupiunt, & petunt. Tum quia procurant, præbentq. occasionem peccandi, & peierandi examineribus, volentes vt contra iustitiã, contra iuramentum, & contra bonum publicum sibi suffragentur, argum. cap. fin. & similia de iniur. præter prædicta.

Nonũ corollarium, peccare grauiter eos, qui in hac splendidissima academia; quæ omnium, quas vnquam vidi literarum studiosis est apertissima Coimbra fiunt Baccalaurei iuris canonici, & ciuilibus, aut aliarum facultatum licentiati; qui licet gradum, quem desiderant, & petunt mereantur; meliora tamen aut priora loca, quàm merentur appetunt: quia in alterius præiudicium false cupiunt & laudari & approbari, quid

quid dicemus de iis, qui amicorum & magnatum literis id procurant? quid de iis, qui donis & pecunijs? quid de iis, qui hanc præcedentiã quærunt prælectionibus non à se factis, quod statutum veller, sed à literatis iam formatis: imo à Gymnastis siue cathedrariis compositis; vt eas memoriæ mādatas pronuncient, instar cæcorum, suas orationes memoriter proferentium?

12 Decimum corollarium, quòd non solum peccant mortaliter, qui appetunt, & petunt procurādo per fas & nefas, iuste aut iniuste, laureas myneruales siue literarum gradum, quem non merentur, aut præcedentiã locorum sibi indebitam; verum etiam omnes, qui eis ad hoc fauent verbo, epistola, uel aliis factis; vt aperiendo librum in ea parte, in qua nouit aperiens laurea donandum habere compositam prælectionem, quam ad ipsam est habiturus; aut componendo prælectiones, aut earũ partes, quas est habiturus. Tum quia non solum facientes, sed etiã consentientes digni sunt morte, ad Rom. 1. & cap. 1. de offi. deleg. cap. notum. 2. q. 1. Tum ob infra dicenda in corollaris sextæ conclus. de audiente murmurationem, cui non contradicit. Tum etiam ob id, quòd alibi scribimus contra iuuantes, & facientes Salmanticæ competentibus in concursu Cathedras; cum sint eis indigni, vel certè manifeste minus digni, quàm alij sui competitores. Quod ipsum dici potest de iis, qui falsis laudibus & approbationibus apud Regem D. N. scripto, aut verbo vtuntur super Academię cathedrarum collatione indignis vel clare, minus merentibus.

Dixi iuuantes ad hoc; id est, vt per fas vel nefas, iuste vel iniuste quærant ea, quę petunt; nam qui solum iuuant ad hoc, vt quærant id, quo sunt digni absque præiudicio manifeste digniorum, non videntur peccare; etiam si forte præter intentionem suam præferantur dignioribus: quia in iis cessant rationes prædictæ.

13 Quod ipsum etiam eadem rationem dicendum est de iis, qui fauent vel suffragantur competentibus ecclesias parochiales, iuxta statuta Tridentina; ita fauendo & laudando plusquam par est indignos, aut minus dignos, vt præferantur dignis aut dignioribus. Idem & de fauentibus iis qui competunt per concursum beneficia in Episcopatu Pallentin. Calagurritan. & aliis; vbi beneficia per concursum conferuntur; vt & frequenter à paucis annis Romæ conferuntur. Idem eadem ratione diximus nuper in Enchir. de oratione cap. 22. missela. 45. esse dicendum de fauentibus iis, qui competunt beneficia in vrbe; vbi extendimus hæc etiam ad fauentes competentibus non solum in concursu formali, sed etiam virtuali; cum scilicet vacant beneficia, quæ multi sperant, & tacite vel expresse competunt eas; & collatores eorum sciunt, vel scire debent eos petere illa expresse vel tacite; quæ omnia videntur nobis nunc esse amplianda ad fauentes sua laude, & approbatione competentibus quęcunque

tumque beneficia, & officia tam secularia, quàm ecclesiastica, quæ tam Reges & alij Domini seculares, quàm præfules, & alij Prælati regulares tenentur lege naturali, diuina, & humana conferre dignioribus ad vilitatem Reipub. quam administrant.

Vndecimum corollarium, simili modo eos peccare, qui post collatas laureas, præcedentias, cathedras, beneficia, vel officia iniuste conquærantur de collatoribus, & suffragatoribus, & interdum etiam de Rege ipso, de quę proceribus eius; dicentes se affectos iniuria, qua verè non sunt affecti; alios vocando nomine probroso, aliis negando colloquiũ, aliis iratum mostrando vultum, aliis comminando verbis, alios minis aut terroribus iniuriando. Peius autem peccant qui à principio suorum concursuum religionis, vel literarum incipiunt se odisse, eo quòd in illorum sine sint futuri competentes super præfata graduum, locorũ, vel munerum præcedentia. Ideoque alij aliorum tam naturæ, quàm morum publicant defectus secretos, interdum eos augendo: & contra celant dona eorũ naturalia, vel gratuita, quibus illos præcellunt, aut illos equantur. eodem fere modo peccant Gymnastæ vna & eadem hora prælegentes; dum per se, per quę suos amicos plusquam par est laudant, rogant quę auditores, vt se audiant desertis competitoribus sibi vtilioribus, nolentes alloqui eos, qui se non audiunt: imo iratum vultum eis ostendentes: quin etiam insinuantes eis se futuros aduersarios cum laureas, siue gradus, vel præcedentias competierint; facientes encomia, vt maius quàm merentur auditorium habeant, & pluris quàm par est habeantur, & laudentur. Quæ omnia, cum mecum dolenter reputo, cogor agnoscere quòd scientia sine conscientia secundum Apostolum 1. ad Corinth. 8. & cap. nisi. col. 2. de renunc. & secundum Baldum in l. hac edictali. nu. 15. C. de secund. nupt. est diabolica. & secundum eundem in l. mercalem. C. de condict. ob turpem caus. rusticum facit superbũ.

14 Cogor item dolere, quòd multi, qui à pueris incipiunt discere artem, quæ licitum ab illicito, æquum ab iniquo separat, iam inde ab eadem ætate incipiunt iniuste appetere sibi aut aliis laudes, honores, munera quę aliis debita. Dolere item quòd quidam parum christianè in quibusdam regionibus docent laudem, honorem, & gloriam vt Ethnicũ iam inde ab infantia plusquam virtutem appetere; subinde quę adigor intelligere causas, ob quas non absque Beatus ille Benedictus à scholis recessit, *Scienter nescius, & sapienter indoctus*, vt in eius vita refertur relata à D. Anto. 2. pat. tit. 15. cap. 13. in principio; & alij multi, qui eum imitantes se cedunt in loca secreta, in quibus non est necessum ab alio quàm à Deo, & Curia eius cælesti laudari, & approbari: quamuis nunc audiam etiam in eis spiritum ambitionis, & præsumptionis ita interdum grassari, vt sint qui laudes, honores; & munera magis aliis, quàm sibi debita variis technis, & artibus obtinere nitantur.

Adigor

Adigor item, & merito, magnifacere, suspicereque illos, qui magno animo hmoi puerilia contemnentes tam sereno, tamque alacri animo incumbunt religioni, & literis; vt. commilitones siue condiscipulos æque ament, æqueque iucundè eis conuiuant, ac si nunquam essent quidquam cum ipsis competituri; parati ad suscipiendum æquo animo quæcunq; loca, gradus, & munera fortuna, quæ prouidentia diuina est, eis dederit; persuadendo sibi, quod præsides, iudices, & electores rectè designarunt loca, gradus, & munera, agnoscentes se coram Deo non mereri altiora, aut id placuisse Deo, vt submissiori animo suæ Maiestati seruirent; aut quod non licuit eis sua merita satis patefacere: vel quia forte de more iacta, vel interrogationibus de more factis obuenit eis materia ad dicendum, steriliores aut ignotiores fuimus aliis: aut quod in componenda prælectione, vel præuenienda responsione noluerunt aliena ope, vel illicitis technis iuuari, sed tantum diuina ope, suoque Marte niti, alto animo vt veri christiani versantes illud Regij Psalms. *Paratum cor meum Deus paratum cor meum.* paratum ad prospera modestè suscipienda, paratumque ad aduersa patienter ferenda.

S V M M A R I V M.

- 15 *Cathedras conferendi modus Salmanticensis cur mutandus. & nu. 16.*
- 16 *Cathedrarum prouisio per suffragia scholasticorum cur periculosa.*
- 17 *Laudans alium false apud Principes, Magnates & prouisores.*
- 17 *Peccatum mortiferum est, quod natabiliter separat à charitate Dei, vel proximi.*
- 17 *Lex nature vetat, vt quis quæ ignorat exerceat.*
- 18 *Peccatum vt est mortiferum vt munere in damnum proximi.*
- 18 *Ignorans necessaria officio suo dimittat illud, aut discat.*
- 19 *Periculum qui amat peribit in illo.*
- 19 *Iudex non sit, qui caret animo resistendi Magnatibus.*
- 20 *Laudatus false vt perplexus, & quomodo se soluet.*
- 20 *Laudanti false scribendo vt respondendum.*
- 21 *Virgo putatus aut putata an iustè celet corruptionem secretam.*
- 22 *Bigamia ex corrupta nascens ignoranti an noceat nuptæ.*
- 23 *Laudi false alteri damnosæ vt contradicendum.*
- 23 *Stultitiæ species, credere de se plus aliis, quàm sibi.*
- 23 *Nobiles & diuites cur nihil benediscunt, nisi equitare.*
- 24 *Lans falsa quæ nec probanda nec refellenda exterius.*
- 24 *Laudans false, confessurus quid debeat facere.*
- 24 *Laudem falsam procurans vt male carpit summates nolentes id facere.*



D V O D E C I M V M Corollarium, quod de illo, quem modo in fine proximè præcedentis corollarij descripsimus, dici pot illud sapiētis Ecclesiæ. 31. glo. verbo confessis. clem. 1. de reliq. & venerat. sanctor. *Quis est hic, & laudabimus eū.* Et illud Persij Saty. 1. *Rara avis in terris, nigroq; similima cygno.* Ob quæ arbitror ista loca, & præcedentias huius Academiae magnam esse occasionem multorum peccatorum, & multi tēporis ad studendum impedimentum: ideoque ea esse in totum tollenda, aut bona ex parte mollienda. Tum ob ea quæ in proximo corollario scripta sunt. Tum quod non semel is qui scit minus, melius prælegit, & arguit, & quod indoctior aut qui minus recte prælegit sepè nanciscitur locum honestiorem. Tum quod charitas præstet scientiæ 1. ad Corinth. 13. cap. charitas 2. & cap. quia radix. de pænit. dist. 2. & pulchrè S. Bernar. cap. 21. de domo interiori. Et quod sæpè primus, aut secundus locus sunt quibusdam potius occasio elationis & tumoris, quàm actionis gratiarum Deo habendarum, & ad se minus faciendum, alios magnificiando; & ad dedignandum audire ea, quæ sibi conueniunt; & ad credendum finem scientiæ attingisse, & ad culmen eius peruenisse. quod est causa, ne vltèrius progrediantur, iuxta illud scitum & sapidum sapientis Senecæ dictum de tranquillitate animi. *Multi ad culmen scientiæ peruenissent, nisi se iam peruenisse putassent.* Qua in re nonnulla præstantiora ingenia grauitè errare solent. Tum quod loca illa inferiora rarius quàm oportet sunt causa humilitatis, contra cap. 1. de pænit. dist. 2. & patientiæ (vt esse debent) sed potius iræ, odij, detractionis, minarum, & inimicitiarum: & quod maximè querēda sit occasio charitatis, & amoris D. Bernard. super illis verbis, *Porrò vnum est necessarium.* sermone 5. de Assumptio. lit. D. E. F. iis præsertim, qui suoapte ingenio parū sunt in amore propensi. Tum quod amor siue appetito gloriæ, & honoris humani resistere potius iuxta B. August. cap. 13. lib. 5. de Ciuitate Dei. quàm cedere debeamus. Tum quod scientiam principaliter ad honorem quesitam S. Bernar. sermone. 36. super Cantic. lite. P. vanitatem appellat. Tum quod amor, & appetitus altioris loci multos multū fatigat, & facit, vt multi audiant aliquos prælegentes, qui minus quàm alij sibi vtilis sunt: & quod multi multum tēporis in ea re terentes frequenter visitant, & comitantur quosdam; quibus etiam adulantur, mentiuntur, & seruiunt. quæ non facerent, nisi timerent eos alioqui fore sibi contrarios in designandis præfatis locis, & aliis muneribus. Quo fit, vt frequenter magis honorent minores scientia, & virtute præditos minusque in ea constantes; eo quod Magis timeant eos, quàm alios iustiores. Tum quod audire, studere, prælegere, & similia facere principaliter ob laudem, & gloriam humanam est saltem veniale peccatum, vt infra latius dicetur in sexta conclus. principali. Tum quia mediocris

scientia virtuose ad seruiendum Deo principaliter quæsitâ pluris valet, quàm maior vitiose ad gloriam, & vanitatem adquisita. & quòd multi diligenter student in academiis, in quibus huiusmodi loca non designantur, & non pauci negligenter, vbi hæc loca proponuntur. Tum quòd huiusmodi loca, & præcedentiæ reddant hanc nostram academiã exosam multis, qui parentum imperio ferè inuiti retinentur in ea. Tũ denique quòd multum, temporis huic rei impendatur, cogitando, & loquendo, & inueniendo vias rectas aut prauas assequendi loca desiderata: quòdque nonnulli honorarios, & strenuiores aliquam circa hoc ignominiam timentes, ad alias academias trãseunt; quamuis nouerint, ob mirabilem huius regionis temperiem, posse quem 12. mensibus Conimbricæ plus proficere, quàm in alia, vbi frigus & calor intensa multis modis impediunt, quatuordecim.

16 Decimum tertium corollarium, quòd per proxime dicta & alia merito visum fuit mihi olim cathedram Canonum primæ functionis Salmanticæ regenti, & postea alteram similem eisdem privilegiis ornatã Conimbricæ habenti, mutari debere modum conferendi cathedras suffragiis scholasticorum, iam inde ab academiarum institutione obseruatum, in alium quendam Deo gratiorem, & Reipub. vtiliorem. Tũ vt dixi per proxime dicta. Tum quia, vt paulo superius dictum est, laus, honor, & gloria non sunt querenda de rebus, quæ non sunt; neque de falsis, neque per dies vanos & malos. & præfatus modus prouidendi est in causa, quòd quàm sepius multi competentes cathedras querunt, imo quadantenus coguntur querere illa de doctrina, & moribus qui non sunt, vel non tot, & tanta, quot & quanta asseruntur, vel per vanas & malas vias. Tum quòd per illum modum vix nullus exterius, vel in externa educatus academia, quàmlibet eruditus ullam cathedram primæ functionis, saltem proprietatis, in primo concursu obtinere potest. Tum quòd secundum eum, bona pars victoriæ consistit in subornanda iuuentute puerorum, & adolescentum, & pauperum; qui facile corrumpi possunt, non solum pretio, sed etiam prece nobilium, pedagogorum, & creditorum; sed & blandimentis mulierum, tam pudicarum, tum impudicarum, & prædictarum quarum etiam opera in hoc multi abutuntur. Quo fit, vt eruditiores, & scholis vtiliores, qui ne deũ offendant à male subornando abstinere, frequentissime ignaris postponantur. Tum quòd est magna occasio, vt Gymnastæ in casibus occurrentibus dent responsa præcocia, parum libata, & affectu potius, quàm iustitia nitentia, rogatu scholasticorum; vt placeant eis, de quorum suffragiis pendet eorum victoria. Tum quòd etiam est in causa, vt iuuentus à iuuentute sua incipiat corrumpi, & magis affectu, amicitia, voluptate, muneribus, & mendaciis plusquam iustitia, & veritate duci. Qua ex re magni obligationis restituendi scrupuli nascuntur. Tum quòd multi schola-

scholastici multum temporis perdunt, dum vacantibus cathedris, vel ægrotantibus cathedrariis intendunt subornationibus actiue & passiuè subornando, & patiendo se subornari; conuiuia dando, & accipiendo, promittendo & accipiẽdo promissa, & alia id genus multa faciendo. Tũ quòd oportet eos, qui competunt, vel se ad competendum parant impendere ante quæsitam cathedram, non solum propria sed etiam aliena, cum cognatorũ, tum amicorum ad mutuandũ multis scholasticis suffragaturis, & eorum aliquibus donadum, & ad quosdam conuiuandũ; & eos qui eas quarunt oportet insuper post eas quæsitas in referendis gratiis publicis tribuere symposia omnibus, conuiuia opipara multis, & aliquibus donaria; adeo quidem largis, vt vix se omnino per totam vitam ære alieno leuent. Qui vero eas perdunt remanent debitis onusti, & coacti decoquere, vel vertere solum, vel soluere tum interesse tum vsuras; & quadantenus viuere raptu: & augendo æs alienum expectare alias cathedras vacaturas, quas qui perdiderint omnino perduntur, & qui quarunt longè maiori ære alieno submituntur. Tum quòd rari sunt scholastici, imo & prælectores, qui non incidant in aliquam tot excommunicationum per academiæ statuta latarum contra subornantes, & subornatos, dantes, vel accipientes munera; & contra loquentes candidatis siue competentibus, & comitantes eos, & aliqua huiusmodi dicentes, vel facientes. Quo fit vt nulla cathedra proprietatis vacet Salmanticæ, ex cuius vacatione & prouisione nõ resultet diabolo reditus: vnus myriadis, & amplius peccatorum mortiferorum, & plurimarum in excommunicationes incursionum, & non paucarum irregularitatum, ex earum fractione orientium; tantumplex est ars demonum in peruertendo ad mala, quæ sunt ad bona constituta. Propter quæ, cogente me ad id charitate, qua in Deum & proximum esse debebam, olim ausus fui orare Regem illum Lusitanicæ nulli tunc regnanti pietate secundum Ioannem huius nominis III. duo; alterum, ne permitteret cathedras illius almæ, insignisque academiæ Conimbricen. conferri iuxta antiquum eius institutum instar modi Salmanticen. Alterum ne mutaret illum in eum, in quem olim Tholosæ mutatus fuit, scilicet vt Rector, Consiliarij, & Doctores eas conferrent: quontiam id fuit in causa, ut quisque suam cathedram posset donare, & vendere alteri Doctori cum magno rei literariæ, ac eruditiorum detrimento. Quæ duo semper sua Maiestas dum vixit seruauit, seruantque in hunc diem successores eius. Quæ duo ipsa quamuis tunc non fuisset ausus orare Imperatoriam Caroli V. Maiestatem, vt dignaretur curare illa in sua præcellenti academia Salmanticensi, & aliis celebribus in suis regnis constitutis seruari: nunc autem videns in nulla Italiæ, quæ in hac re magistra omnium prouinciarum dici potest, academia seruari modum illum antiquum Salmanticensem: & quòd neque in vlla Galliarũ seruatur, audeo quàm

humillimè, quâq; obnixissimè possum orare Regiâ Maiestaté Regis & D.N. Philippi II. multis nominibus gloriosissimi, vt dignetur pro sua maxima in D.N. IESVM CHRISTVM reuerentia, & charitate imitare præfatum Ioânem socerum suum Christianissimum quoad cathedras, quæ vocantur proprietatis, & sunt perpetuæ; ac omnium quæ sunt in Europa maximè dignitatis maximoque reatu & priuilegiis, etiam comitatus ornatæ. Et quod omnium, qui nobis occurrunt, modorum optimus esset, vt Illustrissimus Præses supremi concilij cum perillustribus proceribus eiusdem nominarent eum, qui sibi videretur ad cathedram vacantem aptissimus, iuxta informationem pro sua maxima prudentia, & in suam Rempub. egregia charitate: ipsi enim tum visu, tum auditu & fama, tum testimoniis purioribus serenius, quàm iuuentus præfata; cuius bona pars fere se se ignorat, & facile decipitur norunt, & facile noscere possunt competentiam, & eorum qui competere possunt genus, mores, scientiam, & in docendo scholasticos solertiam, artem, & facundiam; & constantius, ac prudentius, imo & amantius eligent eum, qui fuerit vtilior. Tum quod in iure seruando & reddendo vnicuique quod suum est assuetissimi sunt. Tum quod ex animo amant eam vti matrem, quæ ferè omnes eos genuit, & diu educauit; quæque semper filios, nepotes, & alios cognatos, & amicos eorum gignit, & educat. & consequenter volent illi tanquam matri suæ dilectissimæ mittere, vel designare Gymnastas, qui ei optime inseruiant.

7 Decimum quartum corollarium, peccare illos & quidem mortifere, qui appetunt, aut gaudent laudari; & qui laudant apud Papam, Regem, & alios Magnates, ecclesiasticos & seculares; imo etiam alios quosuis homines de virtute, prudentia, scientia, quibus carent; in finem, ut officia ecclesiastica, uel secularia, quibus sunt indigni ipsis conferantur. Exemplum de illo, qui cupit laudari uel laudat se vel alium, quod est egregius Doctor, prædicator, aduocatus, medicus, nauis gubernator, aut dux militaris strenuus, confessarius idoneus, pharmacopola, scriba, vel alia peritia ornatus in finem, vt ei cõferatur aliquod munus, vel officium, quod sine illo, quod in eo laudatur, non potest absque notabili damno, & periculo animæ, corporis, honoris, vel rei familiaris proximi exerceri. Tum, quia hoc esse peccatum ex conclusione prima prædicta, & ei adiectis necessario sequitur. Quod autem sit mortiferum probatur: quia omne quod nos à Dei amore, aut proximi notabiliter separat est peccatum mortiferum, vt S. Thomas receptus determinat 2. 2. q. 72. art. 5. & melius q. 77. art. 2. & melius in 2. lib. senten. dist. 42. q. 1. art. 4. & S. Anton. 3. parte, tit. 17. cap. 18. pro quibus est illud Ioann. 3. *Omnis qui non diligit odit.* cap. omnis. de pœnit. distin. 1. & qui facit aliquod prædictorum efficit hoc. Tum quia mortifere peccat, qui vult inferre proximo damnum notabile animæ, salutis, honoris, vel pecuniæ

pecuniæ; aut nolendo refarcire id cum possit; ut S. Thomas receptus ait in d. dist. 42. q. 1. art. 4. Et qui vult false laudari, aut false laudat in finem, vt aliquod ecclesiasticum aut seculare officium ipsi cõferatur, aliquid horum facit. Tum quia, omnia præfata repugnât legi naturali, iuxta illud Persii ab omnibus probatum Saty. 5.

*Publica lex hominum, naturaq; continet hoc fas;
Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.*

*Dilius heleborum certo compescere puncto,
Nescius examen, vetat hoc natura medendi.*

Nauem si poscat sibi peronatus arator

Luciferi rudis exclamet Melicerta perisse frontem de rebus.

ac si clarius ita diceret, lex naturalis & humana prohibent, nequis artem, quam ignorat, exercent cap. non est sine culpa. de regul. iur. lib. 6. cum cõcord. ibi citatis. Tum quia, omnia præfata sunt actus superbiæ, ambitionis, præsumptionis, vel vanæ gloriæ, iuxta ea, quæ S. Thomas receptus 2. 2. q. 130. & duab. seq. & 162. super hoc pessimo malorum genere tractat: & actus quatuor præfatorum uitiorum sunt mortifera peccata; cum aliquid in damnum notabile cultus diuini, aut boni proximi sit, aut appetitur, iuxta S. Thomæ declarationem communiter receptam in locis prædictis. Tum per rationem, qua D. Antonin. determinat supra relatus peccare mortifere illum qui suscipit, aut appetit lauream mynerualem sine gradum literarium, absque sufficienti ad illum assumendum scientia. Ratio enim eius qua id determinat est, quod vult laudem, vel approbationem cum bonorum proximi sui notabili damno, & periculo: eiusdem enim speciei sunt velle facere aliquid, quod est peccatum, & facere illud, iuxta S. Thomam receptum 2. 2. q. 72. & Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 19. Tum denique faciunt illa multa eiusdem S. Antonini scripta in q. quæ de ambitione & præsumptione tractat 2. part. tit. 3. cap. 9. per totum, & cap. seq. maximè uniuersalis illa regula, quam ex multis specialibus decisionibus infert; nempe 2. par. tit. 3. cap. 6. §. 4. eos omnes qui aliqua officia publica exercenda assumunt, cum ea ignorantia; vt verisimile fuerit, per eorum exercitiũ damna notabilia alij in personis, aut rebus euenturam, mortaliter peccare. Quæ omnia non solum sunt vera, cum ex talibus officiis & artibus male susceptis damnum sequatur; verum etiam cum nullo damno sequuto illa deliberatè appetantur, aut assumantur: adeo quod non debeant absolui, qui ea confessi fuerint absque iusta illorum ita quæstorum renunciatione, aut proposito id faciendi sufficienti; vt doctissimus idemque pijsimus Adrianus docet quolib. 10. art. 3. g. h. uel certe nisi proponant reddere se ad illa munera subeunda idoneos, iuxta doctrinam Panorm. in cap. venerabilis. de præbendis. Pro quibus facit illud sapientis Ecclesiast. 3. relatum in cap. ad audientiam. de homicidio.

Qui

Qui amat periculum peribit in illo.

19 Ex quo magistralis illa regula colligitur, peccare mortifere illum, qui se ingerit loco, personis, aut factis, in quibus se peccatum mortifere probabiliter credit; ut latius declaramus in cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. num. 4. & seq. & illo Ecclesiast. 7. *Noli querere esse iudex, nisi uirtute potens sis irrumperè iniquitatem; ne forte extimescas faciem potentis.* ac si clarius dixisset; ne uellis esse iudex etiam si ea, quæ ad hoc spectant scias, si de te ipso sentis, & cognoscas te non habiturum animum iudicandi contra id, quod dominis & potentibus placuerit. Tum denique per illud singulare S. Gregorij cap. non est. 1. q. 1. *Quisquis sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat; prius vias suas cum eo, quod est subiturus, onere metiatur; ut si est impar abstineat, & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat.* Inter voluntatē autem, & appetitum inordinatum accipiendi munera, quibus quis est indignus, & assumptionem illorum ab una parte nō consecuto damno, & eadem eo secuto est illa differentia, quod eo non secuto nulla imminet restituendi necessitas; illo vero secuto sic cap. fin. de iniur. & l. qui occidit. §. in hac. ff. ad legem Aquil. tam approbanti false suscipientem, quàm ipsi suscipienti & scienti se false laudatum; & ob id sibi collatum munus, arg. cap. peccatum. de regul. iur. lib. 6. & l. ab emptione. ff. de pactis.

20 Decimum quintum corollarium, non abs re videri cuidam viro eloquentissimo implexum, & quadantenus perplexum, & auribus lupum tenere illum, qui uerbo uel epistola false laudatur: nam si obticescat magis laudari uelle videbitur; si par pari referat, incidit in illud adagium *Mutuo muli se scalpunt.* si refellat, offendit proximum laudantē imprudentiæ; si approbat, offendit Deum: nec tamen satis docet præfatus uir quo se modo, absque peccato se expedire queat. nobis autem videtur, quod huiusmodi false laudatus obligatur in primis, ne sibi placeat laus falsa quatenus est talis, vel adulatio, vel mendacium, vel dolus, laudantis; aut quatenus est causa, vel occasio dandi aliquid alicui quod absque peccato dari, vel recipi non potest, per supradicta nu. 4.

Secundo, quod etiam obligatur, ne uerbo vel alio signo ita se rem habere, aut uerum esse ostendat: nam id esset mentiri; & consequenter peccatum cap. primum. 22. q. 2. ut supra dictum est nu. 3.

Tertio, quod non tenetur false laudi contradicere, si probabiliter credit per illam ab aliis creditam nulli damnum iniustum illatum iri, iuxta id quod supra nume. 3. de Principe per panegyricum laudato diximus.

Quarto, quod iuste respondere potest, non refellendo penitus, nec approbando; sed urbanè gratias agendo laudanti, ob charitatem, & animi candorem, quibus est in ipsum, quibusque inducitur ad credendum

dum tanta, & talia de ipso; quæ tamen ob suam nimietatem pro modestia, qua esse debet acceptare nequit.

21 Decimum sextum corollarium, quod recte nos respōdisse uidemur, non peccasse saltem mortifere quendam nobilem laicum, qui licet in uirium carnis secretissime lapsus fuisset; fama tamen uirginitatis clarebat, non contradicendo illi bonæ opinionis de se conceptæ; licet quædam Illustrissima uirgo eo nomine incitaretur ad ei nubendum, alioquin minime illi nuptura: quoniam nihil inde iniusti damni saltē notabilis proueniebat uxori, eo quod erat corpore sanus, & firmo proposito non fallendi fidem sancto matrimonio debitam.

Maiores tamen quæstionis est de fœmina, quæ fama est uirgo, & re corrupta; quam quispiam uult ducere putans eam esse uirginem, alioquin nullatenus eam ducturus. Ad quam dicendum uidetur primò, quod non tenetur reuelare illum defectum, sub pœna saltem peccati mortiferi, si fuerit firmo proposito debitā fidem seruandi marito; & modo ille ex circumstantiis personarum probabiliter credatur talis, qui satis æquo animo feret eiusdem corruptionem, cum eam nouerit; modo fides ei in posterum seruetur: nemini enim ex eo damnum iniustū notabile inferri uidetur.

Secundo dicendum, quod fœmina huiusmodi, quæ fama est uirgo, & re corrupta, non debet nubere viro, qui probabiliter credatur esse talis, qui adeo iniquo animo talem deceptionē feret, quod ueritate compta occideret eam, aut in Indias, vel alias terras longinquas spreto matrimonio abscederet, vix unquam rediturus (quod aliquos fecisse audiuius) aut quod eam per totam uitam dure, aspereque tractaret, quod alios frequenter fecisse accepimus. Parum tamen nunc putamus

22 referre, an futurus maritus sit purus laicus, an clericus in minoribus constitutus; licet hoc in loco olim contrarium uisum fuerit, iuxta mentem cuiusdam opinionis relatæ à quadam glos. solēni cap. si cuius. 34. dist. propter damnum bigamiæ, quæ ex consumatione matrimonij ex corrupta resultat, iuxta dictū celebre cap. si cuius. 34. dist. ea ratione autem nunc contra putamus, quod damnum illud bigamiæ, & amissionis priuilegij clericali, quæ per eam incurritur cap. 1. de bigamis. & cap. 1. de cleric. coniug. lib. 6. uidetur esse effectus magis extraneus, & remotus, quàm qui debeat imputari tali fœminæ corruptæ sine reuelatione corruptionis contrahenti, arg. glos. singularis cap. de cætero. de homicidio. quæ habet eum qui dat causam remotam homicidij, non esse irregularem, sed solum qui dat propinquam.

Tertio dicendum, quod si aliqua necessitate huiusmodi fœmina cogeretur nubere tali viro impatienti, deberet eum prius per confessariū secretissime monere suam corruptionem, quanta honestate posset eam excusando: quamuis hæc cōclusio dura uidetur; contrarium tamen ip-

le non

se non auderem consulere, ob supra dicta corollario 14.

23 Decimum septimum corollarium, quod si false quis laudatus aduertit laudem illam creditam iri; & quod credita in alicuius iniustum damnum verget, debet ei tantum contraire debita cum prudentia, humanitate, & cautela, quantum ne tale damnum consequatur conuenit, vt supra dictum est in corollario 14.

Ob quod respondimus, quod monacha laudata de qualitatibus bonæ ostiaræ conuenientibus & necessariis, quæ sciebat se non esse sufficienti animo ad contradicendum & negandum id, quod vellent aliquæ genere aut ætate maiores, debebat tantum de hac re reuelare, quantum ne tale officium illi committeretur sufficeret, quod ipsum facere debet, qui cum sit laudatus pro bono confessario, experto nauis ductore, strenuo duce, aut egregio aduocato, iuxta ea quæ supra diximus in corollario 14.

Decimum octauum corollarium, quod huiusmodi false laudatus obligatur ad non credendum id, quod de se dicitur; cum sciat esse falsum. Tum quia contrarium facere species stultitiæ est (licet, pro dolor, communis) maiorem adhibere fidem de se aliis, quàm sibi ipsi, & suæ conscientie, contra huius capituli tenorem, & aliorum multorum; scilicet cap. senti. & cap. in multis. & cap. custodi. sup. ead. q. & contra sententiam Persij satyrici supra citatam nu. 10. Tum quia innumera hinc nascuntur mala, in quibus sunt assentatio & adulatio, authore Plutarcho in lib. quo pacto poss. adulat. ab ami. dig. pag. 8. & seq. qui citat illud Charmeadis nobilioribus studiosis & patribus eorum notatu dignissimum; nempe diuitum & regum filios nihil recte, neque bene discere, præterquam equitare; propterea quod his suadent præceptores se scire, quod nesciunt, laudando quidquid dixerint vel fecerint: equus autem non intelligens an cessor sit priuatus, an magistratus, diues, aut pauper, præcipitat cum quisquis sit, si est ignarus æquitandi.

24 Decimum nonum, quod false laudatus de aliqua virtute statui suo necessaria, cuius defectus est occultus, tenetur ad non approbandam, neque reprobendam laudem, quæ ob illam virtutem ei tribuitur. Exemplum de christiano de fidei firmitate semper seruata; & de monacha de virginitate seruata; & de nupta de fide maritali custodita, laudatis: cum tamen occulte lapsi fuerint; qui laudes illas nec approbare nec reprobare debent exterius, sed tacere: quamuis dolendo interius de laudis falsitate possint iuste gaudere, quod credatur habere virtutem statui suo necessariam, quo proximi scandalum vitetur per supradicta nu. 3. quia id non est gaudere de falsa laude, sed de bono quod illam consequitur, quodque iuste fieri posse supradictum est ad oppositum primum, nu. 3.

Vigesimum corollarium, quod confessurus recte sua peccata confessario, debet inter alia recogitare quoties verisimiliter laude falsa gaudens

uisus fuerit; aut false alios laudauerit cum damno notabili cultus diuini, aut alicuius boni proximi inde secuto, vel probabiliter sequuturo; & dolere iusto dolore contritionis, quam venia peccati mortalis requirit. Dixi cum damno notabili &c. quia non esset alioqui mortiferum, nec consequenter necessario confitendum: quamuis Abulensis, Math. cap. 6. q. 3. vir alioqui magnæ authoritatis absolute dixerit, gaudere de falsa gloria aut laude, esse mortale: quia, vt supra dictum est nu. 9. & latius infra dicitur, limitandum est, vt solum procedat in falsa laude nocenti, vel probabiliter nocitura: & si nocumentum notabile sequatur non sufficit contritio absque restitutione, iuxta illam regulam iuris. *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* de regul. iur. lib. 6. cap. si res aliena. 14. q. 6. Vnde infertur incautè, maleque facere multos, præsertim summates verbo vel scripto facile laudando, & plurimis alienis uestiendo aliquos, interdum etiam sibi ignotos, de virtutibus, actibus, & aliis dotibus, quibus carent; aliquando apud Pontifices & Reges; aliquando apud Respublicas & alios priuatos homines; qui credentes eorum literis conferunt eis beneficia, & alia munera, quibus sunt indigni: quandoque cum magna cultus diuini, Reipublice, vel priuatæ, iactura; ad quam resarciendam, si ea consequatur, haud dubio tenentur, immodesteque facere illos qui huiusmodi fauores petunt, & grauitè conqueruntur de ijs, qui prudenter & piè nolunt eos concedere, dicentes adeo miser et in humanus est ille vel ille, quod etiam solo verbo vel scripto noluit mihi fauere. Quæ profecto magna tentatio est iis, à quibus illi petuntur ad flectendos animos in viam vanitatis, & iniquitatis, à qua nos omnes liberet D. N. I E S V S C H R I S T V S, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S E C V N D A C O N C L V S I O .

S Y M M A R I V M .

- 1 Gaudendum esse falso vituperio nobis illato; intelligendo eo modo, quo declaratur.
- 1 Laus interdum nocet, iniuria semper prodest.
- 2 Philippus Macedo iniurijs benefaciebat.
- 2 Ambrosius optauit haberi parum honestus.
- 2 Augustinus, & Anselmus peccata prodiderunt.
- 3 Gaudium ex tribus coniunctis causis nascitur.
- 3 Iniuria nobis quare vtiles.
- 3 Superbia delictum maximum, cur primum & vltimum.

- 4 *Detrahtio in bonos cur permittitur à Deo.*
 4 *Gaudium est pericula mortis euasisse.*
 5 *Fama & laus magna quibus noceat.*
 5 *Otium querendum, negotium cur suscipiendum?*
 6 *Peccat mortifere; licet non sit excommunicatus, qui gaudet de percussio-
 ne mortifera clerici, etiam sine suo mandato facta.*
 6 *Gaudium de peccato vt differt à gaudio de bono inde nato. & nu. 9.*
 6 *Bona vt veniant, non facienda mala. & nu. 9.*
 7 *Contraria de vno eodem respectu non dici. & nu. 9.*
 7 *Peccato proximi dolendum, & compatiendum.*
 7 *Occasio peccandi vt nemini danda. & nu. 10.*
 7 *Amare plus debet se, quàm alium; at minus aliis nocere. & nu. 10.*
 8 *Famam negligens quis crudelis. & 10.*
 8 *Fama bona, & bono nomine, vt curandum. & nu. 11.*
 8 *Famam suam multi Sancti defenderunt, & cur? & nu. 11.*
 10 *Famam negligere vno de quinque modis peccatum.*
 11 *Respondendum, & non respondendum stulto, vt conciliantur.*
 12 *Gaudens de peccato ob bonum etiam diuinum, peccat.*
 13 *Gaudere potest quis, & tristari simul iuste de vna & eadem re diuerso re-
 spectu.*
 14 *Mulierem suspectam retinens, vt peccat non peccando.*
 14 *Concubina qualis excusatio falsa.*
 14 *Solius ad solam accessus, vt peccatum.*
 14 *Monachus non conuertat malas solus.*
 15 *Monachi quales famam tueri debent.*
 15 *Predicator, Doctor, & qui alij famam defendent.*
 16 *Infamantes ordines probatos excommunicati.*
 16 *Infamantes personas ordinum non excommunicati.*
 16 *Iniuria persona redundans in ordinem non ferenda.*
 17 *Christus non pertulit omnes iniurias.*
 18 *Iniurijs pauci de repente bene respondent.*
 18 *Iniuriam ferre, vt iniurijs magis infremat, malum.*



ECUNDA conclusio principalis, quam ex hoc cap. colligimus, fuit, debere nos falso vituperio nobis il- lato gaudere. Quæ confirmatur illo eiusdem D. Gregorij cap. in cunctis. sup. ead. q. *Quem conscientia defendit, liber est inter accusationes; & liber esse non potest, si sola quæ interius addiscit, conscientia accuset.* cui consonat & illud S. Augustini cap. senti. ead. q. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* & illo cuiusdam recentiorum cum primis eloquentis, vt fere

nunquam

nunquam non nocet laudator; ita semper prodest reprehensor: etenim si vere reprehendit, discedo doctior; sin falso, tamen acuor, stimulo, exper- gestio, reddor attentior, cautiorq, animor ad defensionem veri. Si quidem minus acre calcar habet gloria cupiditas, quàm ignominia metus. Corroboratur etiam illo Euangelij Matth. 5. cap. quod Christus. 23. q. 4. *Cum maledicerint vobis homines mentientes propter me, gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in celis.* Huius rei testes fuerunt Apo- stoli attestante sic Luca, *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij: quoniam digni fuerunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Eiusdem quo- que rei exemplo fuit Philippus Macedonum Rex, qui ab Atheniensibus iniurijs laceffitus, pro iniurijs beneficia rependebat. Eiusdē quo- que exemplo fuit Pericles, qui grauissime verbis ab alio læsus, tacuit, & in portam quandam se abdidit; vbi mansit vsque ad vesperam, quā- do iam ei necesse fuit domum adire; ad quam vsque iniurijs insectatus fuit conuiciator, iamque eam ingressus: quoniam nox erat dixit pue- ro accende facem, & commutare hunc hominem usque ad ædes suas. Et multi sancti Patres, quorum res gestæ narrantur in eo libro, qui in vitas patrum inscribitur. factas sibi vt refert S. Thomas quolib. 10. art. 13. iniurias alacri animo tulerunt. facit quod aliqui viri nō minus san- cti, quàm eruditi optarunt, vt male de illis diceretur; & aliis de seip- sis abiectè locuti fuerunt. D. Ambrosius, vt legitur in eius vita relata à S. Antoni. in 2. par. titu. 10. cap. 8. in princip. optauit publicari, & haberi pro parum casto. B. Augustinus peccata sua in libris confessio- num publicè confessus fuit, & specialiter in secundo libro; vbi se iuue- nem in carnis vitium lapsū fuisse confitetur. Et S. Anselmus Archie- piscopus Canthuriensis lamentatus fuit in suis libris in deploratione virginitatis amissæ, de sua virginitate amissa, in hæc uerba, *O virginitas iam non dilecta mea, sed perdita mea; iam non iucunda mea, sed desperatio mea, quò deuenisti?* in quàm fetido, in quàm amaro cæno vitæ meæ de- reliquisti? hæc ille. Et hæc quidem, quæ quotidiana est conclusio, non solum authorum elogijs & exemplis, sed etiam rationibus efficacibus fulcitur. Prima, quòd ex tribus coniunctis causis nascitur alicui gau- dium; scilicet quòd cognoscat aliquid esse sibi bonum: & quòd illud sit adeptus, & sciat se illud adeptum esse, vt inquit Arist. in Rhetoric. & 7. ethic. & declarauit S. Thomas 1. 2. q. 32. art. 2. & certum est, quòd iniuriæ; & detractiones, quæ nobis falso iniiciuntur, sunt nobis utiles: utile enim nobis est carere superbia, quam diuinus ille Psaltes psal. 18. delictum maximum vocat, secundum S. August. qui super eisdē verbis ait, *vere mundus est qui hoc delicto caret: quia hoc est vltimum redeunti- bus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.* quo in loco Thom. à Vio super psal. 18. addit, hoc esse vltimum vitium, à quo seruus Dei mun- datur; si tamen vnquam perfectè mundatur: & falsæ iniuriæ, & detra-

E 2 ctiones


4 ciones ad id nobis conferunt; ut non minus ornatè, quàm erudite restatur D. Gregor. relatus à nostro Gratiano cap. sunt plurimi. 6. q. 1. *Sunt, inquit, plurimi, qui vitam bonorum fortasse amplius, quàm debent laudant; & ne qua elatio de laude surrepat, permittit Omnipotens Deus malos in obrectationem, & obiurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur.*

Secunda ratio, qua præfata conclusio fulcitur, est quòd gaudere debet is qui meminit se in magnis periculis versatum non periisse iuxta illud Aeneæ apud Vergil. Aeneid. 1. *Hæc olim meminisse iuuabit.* & illud Ciceronis lib. 2. de finib. *Suauius est memoria laborum præteritorum.* At homines qui quædam vasa fictilia sumus, & uersamur inter tot vitiorum saxa, quæ uaser hostis Diabolus, mundus, & caro tanquàm offendicula ad pedes nostros uoluunt, ut D. Petrus 1. cap. 5. ibi. *Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, &c.* & D. Ioan. 1. cap. 2. ibi. *Omne quod est in mundo, &c.* ac alij Summi Pontifices cap. quia sanctitas. 50. dist. cap. uis. 16. quæst. 2. tradiderunt audientes dicere, quòd incidimus in talia vitia; & considerantes, quòd fuimus in periculo cadendi & nõ cecidimus, iure optimo gaudere possumus; quemadmodum qui somniat mala sibi accidisse, & excitatus se videt liberum ab eis; & egrotus, qui morti adeo proximus fuit, ut iam fuisset conclamatus, morbo leuatus lætatur, & immortales gratias Deo agit, eoquòd eum à tanto periculo liberauit.

5 Tertia ratio, qua præfata conclusio fundatur, est quòd plerisq. obest magna laus & fama vitæ, & eruditionis, iuxta quoddam elogium Christianum Ethnici Galeni lib. 7. de Methodo curandi in princ. in quod aliud quærens casu incidi, & satis miratus fui ethnicum hominem tam orthodoxæ locutum; cum multi orthodoxi saltem factis contrarium significemus; eius uerba, ut de græco conuertit doctissimus Lynacrus, sunt hæc. *Multitudinis laus commodum ad usus nonnullos instrumentum uiuentibus aliquando est; mortuis certè nihil prodest, sicut nec uiuentibus quibusdam: nam qui uiuere in tranquillo optarunt, ac fructum ex philosophia ceperunt; & ijs qui corpori sufficiunt sunt contenti, his utique impedimento nõ paruo est apud vulgus fama, quæ hos à rebus pulcherrimis plus iusto transuersos auferat.* & paulo post. *Ego uero haud scio, qua ratione ab ipsa usque adolecentia mirificè, siue inspiratus, siue furore percitus, siue quocumque dixisse libet, & vulgi famam contempsi & ueritatis scientiæq. studio flagraui, nullam esse hominibus honestiorem nec diuitiorem possessionem ratus.* hæc ille. cui egregiè consentit illud S. August. cap. qui episcopatum. 8. quæst. 1. *Otium sanctum querit charitas ueritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis.* & illud Euangelicum Math. 5. *Beati pauperes spiritu.* & illud Psalmi. *Beatus uir qui in lege domini meditatur die ac nocte.*

Octo

Octo opposita conclusioni.

6 NTRA tamen præfata conclusionē opponuntur octo. Primum, quòd consensus in peccatum est peccatum, & tale quale est peccatum, in quod consentitur, iuxta Concil. Agathense cap. presbyteri. 34. distin. & Laodicense, cap. non oportet 2. de cōsecrat. dist. 5. & illud Caietani in summa, quæ antea tenuit S. Thom. 2. 2. q. 167. ar. 2. ad 2. scilicet, eū qui interest iocis, & spectaculis libidinosis & crudelibus, & de illis malis delectatur, peccare mortifere. Per quæ nos Salmanticæ, dum Decretum prælegeremus in cap. cū ex eo. de sententiâ excōic. lib. 6. tenuimus cōtra opinionem Ioannis Andreæ, Dominici, & Franci; eum qui gaudet de iniusta percussione, vel occisione alicuius clerici ab alio facta, sine mandato eius, & alio nomine quàm suo, licet non incurrat excommunicationem, neque irregularitatem; peccare tamen: uenialiter quidem, si percussio fuit uenialis; & mortifere si percussio fuit mortifera: quāuis patres illi utroque casu sentiant eum peccare tantum uenialiter. At iniurians peccat. Ergo non debet quis consentire in iniuriam: & qui gaudet de iniuria consentit in eam: ergo non debet nec iuste potest de illa gaudere.

Secundum, quòd non licet facere mala, ut inde eueniant bona, ut Apostolus ad Roman. 3. ait: non enim licet furari, ut pauperi elargiamur, cap. forte. 14. quæst. 5. neque fœnerari, ut captiuos redimamus cap. super eo. de usuris. ergo non est consentiendum in peccatum, & minus gaudendum de illo, quod est malum, propter bona quæ ex eo sequuntur.

7 Tertiū, quod duo contraria non dicuntur de eodem, ubi repugnantia. ff. de regul. iur. secundum Philosophos. At dolor, & gaudium sunt contraria. Ergo non possunt haberi de eodem. at dolendum est de peccato proximi secundum S. Aug. cap. duo ista. 23. q. 4. & Leonem cap. odio. 86. dist. & secundum illud dulcis Bernardi dulce dictum serm. 44. super cant. quod incipit Botrus. *Peccanti homini homo peccator quasi quendam suauissimi odoris balsami rorem sudans pium exhibeat compassionis affectum.* & secundum Gratianum cap. plerumque. 2. q. 7. §. is ita. *Descensus Redemptoris D. N. Iesu Christi de monte ad planum, & ex alto ad imma notat iustos debere se dimittere per compassionis affectum iuxta Apostolum 2. ad Corinth. 11. dicentem. Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Ergo non potest quis gaudere de iniuria sibi facta; cum sit peccatum proximi, de quo debet dolere.

Quartum, quòd nulli debemus dare occasionē saltem proximam peccandi.

peccandi, l. conueniri. ff. de pact. dot. cap. ex parte. de consuetud. cap. ille. cap. qui exigit. 2. 2. q. 5. nam secundum leges tam Pontificias cap. si. de iniur. quàm Cæsareas l. qui occidit. ff. ad legē Aquil. qui causa damni dat, damnum dedisse videtur. at qui patitur famam suam per detractionem lædi occasionem peccandi detractori dare videtur.

Quintum, quòd unusquisque tenetur magis diligere se ipsum, quàm proximum cap. si non licet. 23. q. 5. l. præses. C. de seruit. & aqua. & omnes debemus obuiare, vt nemo coram nobis famam proximi, neque præsentis neque absentis lædat. cap. non solum. sup. ead. quòd secundum aliquos voluit Salomon cap. 26. Prouerb. illis verbis. *Qui imponit stulto silentium iras mitigat. & illis, Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.*

¶ Sextum, quòd Salomon ait Ecclesiast. cap. 17. unicuique mādauit Deus de proximo suo, id est secundum glos. vt pro sit verbo & exemplo. quòd non videtur posse facere gaudendo de infamia, & non defendendo famam; cui vehementer assentitur magnus ille August. cap. nolo. 12. q. 1. & cap. non sunt audiendi. infra ead. q. in hæc verba; *Dua res sunt conscientia & fama; conscientia necessaria est sibi, fama proximo suo, qui confidens conscientie negligit famam crudelis est.* hæc ille. At constat crudelitatem esse peccatum, vt probat S. Thom. igitur peccat qui peccato gaudet.

Septimum, quòd Salomon Ecclesiast. cap. 41. expresse sic præcipit, *Curam habe de bono nomine.*

Octauum, quòd Dominus ac redemptor noster non fuit gauisus, nec consensit appellari dæmoniacus, Ioannis 27. neque quòd in Bersebu principe Dæmoniorum eiiceret dæmonia, Math. 12. & quòd D. Paulus 2. ad Corinth. 20. defendit suam famam: & 2. ad Corinth. 10. sic eam auget. *Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.* Et alio loco; scilicet 2. ad Corinth. 12. reuelat magna quædam arcana, vt eum haberent pro tanto Dei nuntio, quantus erat: & quòd B. Hieronym. & alij plerique sancti, & Illustres viri scripserunt Apologias & defensiones eorū, quæ dixerunt, & fecerunt; ob quas tamen non reprehenduntur imo laudantur. ergo non debemus gaudere de vituperio & infamia.

Confutatio

Confutatio oppositorum.

PRIMUM horum oppositorum respondetur, quòd noluit hic dicere B. Gregor. vt gauderemus de iniuria ipsa, quatenus peccatum est; sed de bono quòd ex ea nascitur, ob rationes quibus supra conclusio fundata fuit.

Ad secundum, quòd non dicimus licere gaudere de peccato propter bonum, quòd ex eo sequitur, sed licere gaudere de bono, quòd sequitur, dolendo vel certe nõ gaudendo de peccato, quatenus est peccatum; vt gaudere iuste poterat Bersabeæ, quæ haberet filium Salomon; dolendo, vel certe nõ gaudendo de adulterio, ex quo fuit ille natus, cap. 1. & 2. Regū. similiter nos gaudemus de cōtritione, quæ nascitur nobis de peccati memoria, non gaudendo, imo dolendo de peccato cap. 1. §. defleat. de penit. dist. 5. vt supra in simili diximus et cōclus. 1. rñdendo ad primū oppositū, non licere gaudere de falsa laude, neque de iniusto duello spectato, audito, aut lecto quatenus sunt peccata ob bonum, quòd inde nascitur, sed quæ dolentes vel certe nõ gaudentes de illis possumus gaudere de bonis inde secutis, puta de cognitione historiæ, & artis dicendi, vel scribendi, vel de honoribus, & muneribus, quæ ob ea nobis vel aliis obuenerunt; & de ostensione industriæ, dexteritatis, & roboris, quæ ad multa est utilis.

Ad tertium concedimus, quòd duo quæ sunt vere contraria non possunt vere vno & eodem respectu, & vno & eodem tempore, de vno dici; sed negamus, quòd dolere de peccato eo quòd est malum; & gaudere de bono, quòd ex peccato sequitur, sint contraria de eadem re: cum aliud sit peccatum, & aliud quòd ex eo sequitur: aliud enim est fornicatio, & aliud filius ex ea natus, vt palam est.

Ad quartum respondetur negando, quòd qui modeste patitur famam suam per detractionem lædi præbeat occasionem saltem proxima peccandi: quoniam non maiorem præbet occasionē, quàm qui non repetit à fure rem sibi furto sublatam, quem palam est iuste id posse facere.

Ad quintam respondetur, vnumquemque magis obligatum esse sibi quàm alteri: negando tamen, quòd ex hoc sequatur, non posse quæ plus præiudicare sibi, quàm alij: etenim potest quis iuste consentire, vt alius capiat aut retineat decem aureos suos l. inter omnes. §. recte. ff. de furtis. non tamen potest iuste consentire, vt alius retineat totidem inuito alio eorum domino: sic etiam potest quis regulariter consentire, ne sibi fama restituatur; non tamen quòd proximo id iuste petenti non restituatur.

Ad

Ad sextum respondetur, illa duo dicta Salomonis & D. August. *Crudelis est qui negligit famam.* posse intelligi de illo, qui negligit eam aliquo de quinque casibus. Primo faciendo opera in se bona (speciem mali habentia, proximosque scandalizantia: quod est peccatum, & quædam erga proximi animam crudelitas, iuxta illud S. Gregorij in Pastoralibus. *Coram cæco offendiculum ponere est discretam quidem rem agere; quæ tamen ei qui lumen discretionis non habet scandali occasionem præbet.* cui satis conuenit contextus cap. nostri in vers. vocandi. Secundo, cum gerendo personam publicam ita negligit famam, ut adimat sibi auctoritatem proficiendi alijs; & impediatur fructum bonorum operum, quem cum illa facere poterat. is enim etiã peccat iuxta eundem S. Gregorium in eadem homilia, ex qua hoc caput depromptum est. *Hi, quorum, inquit, vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt, detrahentium sibi verba compescere.* & paulo post *Linguas detrahentium oportet aliquando compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum, qui nos audire ad bona poterant cordis innocentia corrumpatur.* hæc ille. Tertio modo, videns se infamari intelligensque probabiliter infamantem emendatum iri, si ei responderet priuatim, vel publice eo tempore, quo eum infamat, vel postea tempore opportuno negligit respondere: nam is peccat, eo quod non adimplet præceptum illud Sapientis. *Responde stulto iuxta stultitiam suam; ne sibi sapiens videatur.* in quo præcepto verba illa, *iuxta stultitiam suam*, significant similitudinem malitiæ & non medicinæ; id est ut respondeas, ut oportet ad sanandum eius peccatum; & ut intelligat esse stultitiam id quod sibi videtur sapientia neque: aduersatur huic responsioni illud eiusdem. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* quia verba illa, *iuxta stultitiam suam*, in hoc præcepto significant similitudinem, non in medicina, sed in malitia; id est non respondeas stultè vel immodestè, ut fuit alter locutus respondendo illi malo modo; sicuti etiam ille malo modo locutus est. Quarto modo, famam negligendo causa vlciscendi se, ut conuiciator videns eum nihil de infamia curare, magis irascatur & fremat: quoniam is etiam, ut sentit S. Thomas 2. 2. q. 71. art. 3. ad. 3. peccat, contra illud Pauli ad Rom. 12. *Non vos vlciscentes.* uel ut alia translatio habet. *Non vos defendentes.* & contra illud Deuteronom. cap. 32. *Mihi vindictam.* Quæ quidem duo dicta Gratianus noster ad pulchrum propositum in hunc librum transtulit. 23. q. 1. §. 1. Quinto, negligendo ubi, & inter eos qui eum imitarentur, si crederent illum esse virum bonum. in quo modo præfatam auctoritatem intelligunt Gratianus, & glossæ huius libri in cap. senti. sup. ead. q. qui quidè intelligendi modus, si rectè expendatur, partim reducitur ad primum, partim ad secundum, partim ad tertium. Quapropter ad argumentum in forma concedimus, quod præfata duo dicta Salomonis & S. August. habent locum in eo, qui negligit

negligit famam aliquo modo de prædictis quinque modis; non autem in alijs, qui bono modo, & sine, opportunoque loco, & tempore, absque aliorum scandalo negligit respondere, vel tueri suam famam.

Ad septimum respondetur eodem fere modo, quo ad sextum; scilicet, quod per illud præceptum Salomonis, *Curam habe de bono nomine.* præcipitur nobis habere hanc curam; ne vilo modo de quinque proximè dictis nomen nostrum, vel famam negligamus; & quod seruemus atque augeamus illam alijs modis in bonos & aptos fines directis; quorum vnus est quotidianus, nempe, ut per eam tuitam & auctam eueniant nobis, vel nostris aliqua bona temporaria, de quibus honeste viuamus: & alius vtilissimus, quo sæpè vti fuimus, ut eo constantius quis in bonis operibus perseueret, quo magis eum quam alios ad id bona fama obligat; quodque magis quam alij peccaret si ei contraheretur.

Ad octauum respondetur, concedendo quod Christus, Paulus, Hieronymus, & alij qui honestas apologias scripserunt non fuerunt gauisi de infamia, siue de actu infamandi, quatenus erat malus, neque de malo quod inde sequebatur; quod non est contra conclusionem nostram modo supra dicto declaratum: negando tamen, quod eorum exempla probent, quod ipsi non fuerint gauisi de aliquo bono, si quod ex illa infamia fuisset consequutum, de quo posse infamatum gaudere nostra conclusio habet.

Corollaria huius conclusionis.

PRIMUM corollarium, ex supradictis omnibus sit illa conclusio uitæ christianæ agendæ perutilis: scilicet quod non solum peccat, qui de peccato gaudet quatenus est tale, aut quia fuit inde secutum aliquod malum peccatori, & proximo, qui sunt diabolici respectus: sed etiam qui gaudet de peccato ob aliquod bonum, vel honorem etiam iustum inde sibi, proximo, imo & Deo secutum: & consequenter peccare illum, qui cogitando, audiendo, & legendo se, aut alium in duello, vel aliquo alio certamine iniusto aliquem superasse gaudet: & quod inde laudem vel aliqua munera, vel honores quesierit. Item qui gaudet aliquem iniuste fuisse occisum, eo quod illius beneficium sibi collatum fuit. Et quæ gaudet fuisse concubinam alicuius Principis, eo quod est mater filiorum eius. Et qui gaudet fuisse mediatorem adulterij, vel strupi, vel occidisse aliquem propter bona inde quæsitæ, & id genus alios. Veruntamen non peccare illum, qui detestando, aut certè non consentiendo præfatis modis malis acquirendi, gaudet de acquisitis.

- 13 Secundum corollarium, quod licet de vna & eadem re, quæ nō est peccatum, possit quis iuste gaudere & dolere diuerso respectu. piè namque discipuli B. Martini flebant, quod relinqueret eos sua præsentia priuatos; & piè gaudebant, eo quod ad gloriam sempiternam transisset. Et quotidie dolemus de passionibus Martyrum, eo quod fuerunt iniustæ illatæ; & gaudemus de eisdem, eo quod per eas coronas martyrij fuerunt adepti. Et iuste gaudemus de cognatis & amicis ad honorifica munera euectis, propter honorem & commoda, quæ assequuntur; & dolemus, propter maximos labores, quos in fungendo eis oportebit illos pati.
- 14 Tertium, quod licet quis gaudere possit de filio habito per fornicationem; non tamen de fornicatione, neque de conuictu etiam casto cum matre illius: quia inordinate & male suam negligit famam, per responsum ad sextum oppositum, & propter scandalum populi argu. cap. nihil. de præscript. & eadem ratione licet possit quis gaudere de bonis colloquiis, & castis fœminæ; non tamen de consuetudine habendi ea secreta in loco suspecto solitariè arg. cap. legitur quod. 81. dist. nec eadem ratione debet quis adire solus fornicarias prætextu conuertendi eas, ob periculum suæ peruersionis, iuxta illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum peribit in illo.* & ob periculum suæ infamiae, arg. cap. cum omnibus. & cap. volumus. 81. dist.
- 15 Quartum, quod peccant Concionatores, Doctores, & Prælati, imo & quiuis alij, qui modestè non respondent iniuriis, & detractionibus quæ probabiliter videntur fructum suarum concionum, prælectionūq. impedituræ: quamuis regiminum, & quarum vis aliarum virtutum actiones, & quæuis aliæ personæ priuatæ, quarum infamia non nocet aliis, nec sibi quo ad animæ, corporisve salutem, sanctè possint eas dissimulare, per dicta in opposito sexto, & ex responso ad illud. Dixi nō nocent aliis: quia si redundarent in detrimentum, & infamiam aliorum; puta sui ordinis, status, vel famæ alicuius alius personæ publicæ, aut priuatæ, deberent pro sua innocentia respondere; veluti si eos vel eas vocarent fornicarias, aut personas mali status, aut Religionis improbatæ, aut nationis vel gentis crudelitate, vel alia infamia notatæ.
- 16 Quinimo est sancitum (quod nonnulli parum curant) vt qui scripserint famosum carmen, vel libellum contra ordinem illorum præcellentium Patriarcharum S. Dominici, & Francisci ipso facto sint excommunicati, Caiet. in summa casu 81. quod ipsum dicendum est de iis, qui affirmant statum suum non esse statum perfectum; aut non licere ipsis de elemosynis vitam sustentare, declarante id B. Antonino par. 3. titu. 24. cap. 7. aduertendum tamen, quod præfata excommunicatio nō comprehendit infamantes personas prædictorum ordinum; sed tantū infamantes ipsorum ordinem, vel statum, & religionem. quod etiā ad-

uerterat

- uerterat Caietanus in summ. verb. excommunicatio. cal. 81. sub fin. cui tamen addendum est, quod ad incurrendum præfata excommunicationem non sufficeret infamare prædictos ordines indirectè; ita quod ex infamatione personarum resularet infamia ordinum: sed oportet, vt ipsos ordines principaliter infamet; actus enim ex principali fine recipiunt speciem, & iudicantur, & non à secundo, neque accidentali l. si quis nec causam. ff. de reb. credit. cum multis ibi à Iaso. allatis. & l. cum aurum. §. si. ff. de auro & argento leg. cap. cū voluntate. de senten. excommuni.
- 17 Quintum, quod ex his colligitur ratio quæstionis, quam angelicus Doctor in quolib. 5. art. 26. resoluit; scilicet quare Dominus ac Redemptor noster dissimulauit se vocari à Phariseis voracem & potatorem vini, Matth. 6. & dici ei à Diabolo, *mitte te deorsum.* Matth. 4. non tamen dissimulauit dici à Phariseis Matth. 12. se in Bersebud eiicere Demonia, neque vocari dæmoniacum, neque Diabolo, vt ei diceret hæc oīa tibi dabo, si cadens adoraueris me; imò statim eum reiecit. Est enim ratio, quod hæc duæ posteriores iniuriæ tangebant ineffabilem diuinitatē; priores vero reuerendissimam humanitatem; super quibus verbis Ioannes Chrysostomus in hunc modum hortatur dicens. *Illius discamus exemplo nostras quidem iniurias magnanimitè sustinere, Dei autem iniurias neque vsque ad auditum sufferre: quoniam in propriis iniuriis esse quolibet patientem laudabile est; iniurias autem Dei dissimulare nimis impium est.*
- 18 Sextum Corollarium, paucos esse, sic vt conuenit, qui impleant illud sapientis supra citatum & expositum; *Responde stulto iuxta stultitiam suam.* pauci enim sunt qui de repente modo debito, & principaliter propter finem debitum, & vt profint iniurianti, respondeant iniuriis sibi factis, aut dictis, vt experientia, quæ rerum magistra est, abundè docet cap. quam sit. de elect. lib. 6.
- Septimum, errare multos, qui putant suadendum esse iniuriam passis, vt eam dissimulent vel contemnant; vt quanto plus illi siluerint tanto magis iniurius & conuiciator irascatur & fremat; et laudant plurimum eos qui ob id tacuerunt: quia per supradicta ad sextum oppositum constat id esse peccatum; & suadere peccatum est peccatum; vt paulo superius dictum est. Vnde consequitur non fuisse laudabilem consuetudinem cuiusdam nobilis viri planè boni à multis laudatam, qui quando vxor & filia prudentes quidem fœminæ eum iuste obiurgabant interdum dissimulabat, & contemnebat illarum obiurgationem, interdum vero dicebat eis absque vlla ira, scitis aliud quod obiiciatis? sciens eas id acerbe molesteque laturas.

TERTIA CONCLUSIO

SYMMARIUM.

- 1 *Eandem conscientiam nostram sufficere sic intelligitur. & nu. 3.*
- 2 *Gratiam se habere nemo nouit, nisi reuelatione.*
- 3 *Indefinita non semper aequipolet vniuersali.*
- 4 *Pœna indignè veniens vt dolenda.*
- 4 *Socrates iratus vxori dolenti, quod sine culpa damnabatur.*

TERTIA Conclusio, quam ex hoc capite desumpsi-
mus, est, sufficere nobis laudem conscientiam nostram;
quæ colligitur ex illis verbis. *Quid si non omnes lau-
dant, & conscientia liberos nos esse demonstrat? habemus
Paulum dicentem, Gloria nostra hæc est, testimoniũ
conscientiam nostram. Cui conclusioni consentaneum est
Illud Iobi cap. 27. Non me reprehendit cor meum in
omni vita mea. & illud Ioan. 3. Si cor nostrum non reprehendit nos fidu-
ciam habeamus ad Dominum. & illud Pauli ad Rom. 8. Ipse enim spiri-
tus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. & illud Au-
gust. cap. senti. ead. q. Senti de Augustino quidquid lubet, sola me in oculo-
lis Dei conscientia non accuset. & illud Menandri. Mortalibus omnibus
conscientia Deus.*

Opposita conclusioni.

CONTRA tamen hanc conclusionem facit illud B. Pauli.
2. ad Corin. 10. *Non qui se ipsum commendat, ille probatus
est; sed quem Deus commendat.* per quod ibidem S. Bern-
nardus supra relatus conclus. 1. nume. 3. sic inquit, *Nobis
non sufficit testimonium conscientiam nostram. Vrget & illud A postoli 1. ad
Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. &
illud Iobi. cap. 9. relar. in cap. fin. de purg. canon. & in cap. si enim. de
pœnit. dist. 1. Et si simplex fuero hoc nescit anima mea. Et illud Sapien-
tis Eccles. 9. Nemo sit an odio vel amore dignus sit. & illa S. Thomæ 1.
2. q. 112. art. 5. & lib. 1. sent. dist. 16. q. 1. art. 1. ad 5. & in 4. dist. 21. q. 2.
art. 2. ad 4. S. Antonin. 4. par. tit. 9. cap. 4. §. 4. & aliorum communis
conclusio, Neminem scire posse se gratiam Dei gratum facientem ha-
bere, nisi ei specialiter reuelatum fuerit. quod esse de fide longe post
hæc*

hæc scripta declarauit S. Concilium Trident. can. 16. sess. 6. igitur ne-
que anima nostra, neque consequenter conscientia nostra id scire pót.
Huc accedit, quod multa nobis inesse nostra conscientia nouit, quorũ
contrarium iudicat Ecclesia: conscientia enim eius, qui sine vero con-
sensu contrahendi matrimonium, verba in id apta præfert, eiusq. qui
sine maritali affectu sponsam de futuro carnaliter cognouit, non esse
eius maritum nouit, cap. is qui. & cap. tua. de spons. cuius contrarium
iudicat Ecclesia; & Susanæ Daniel 4. parum profuisset verum testimo-
nium conscientiam suam, nisi ipsius sapientis Danielis examinatio eam
iuuasset.

Confutatio oppositorum.

ED non obstantibus his, vera est conclusio, & ad ea omnia
simul respondetur, concedendo quidem nobis testimo-
nium conscientiam nostram nõ sufficere quo ad omnia, quod
probant illa: negando tamen hoc esse contrarium conclu-
sioni nostram, quæ non habet testimonium conscientiam no-
stram sufficere ad omnia; sed indefinite sufficere. ad cuius veritatem suf-
ficit, quod ad aliqua sufficiat, iuxta glos. memorabilem cap. vt circa. de
elect. lib. 6. & ita licet non sufficiat ad sciendum nos habere gratiam
Dei gratum facientem, neque ad sciendum nos liberos esse à peccato
mortifero; neque ad liberandum, vel condemnandum nos vel alios in
foro exteriori; neque ad hoc vt princeps, vel alius Magistratus ecclesia-
sticus, vel secularis nobis conferat, vel adimat aliquod munus vel bene-
ficio ecclesiasticum, aut seculare; cap. 1. de scrut. ab ordin. facien. cap.
ex parte. 50. dist. licet item in foro exteriori plus pro sit testimonium
alienum, quàm nostrum; & plus extraneum quàm familiare: sufficit ta-
men ad sciendum nos admisisse vel non admisisse illa vel illa peccata
mente, verbo, vel opere, & ad credendum probabiliter opera nostra es-
se Deo grata; & nos esse à mortifero peccato liberos iuxta vtrumque
Thomam & Antoninum vbi supra, addentes alia inditia & argumenta
ad id coniiciendum. sufficit etiam ad consolandum nos in tribulationi-
bus nostris, de quo effectu B. Paulus in hoc cap. relatus agit; dũ testimo-
nio conscientiam suam se consolatur, dictantis ob suam culpam non pari
quædam mala, quæ patiebatur. Neque obstat illud. *Quæ venit indignè
pœna dolenda.* quoniam licet id verum sit vno respectu; non tamen aliis,
vt probè docuit sapiētissimus Socrates, apud Valerium Max. lib. 7. cap.
2. tit. sapienter dicta, aut facta. qui vxori suæ indolenti, & queritanti, q
sine culpa iniuste necaretur, respondit, males igitur, vt ob culpam iuste
necaretur quasi diceret, consolari te debes quod conscientia apud animũ
tuum testatur, me non ob vitia sed ob virtutes necari.

Q V A R T A C O N C L U S I O .

S V M M A R I V M .

- 1 Gloria etiam vnius testimonio constat ; declaratur. nu. 8.
- 1 S. Nicolaus tres virgines clam dotauit.
- 1 Laus paucorum laudatorum maior, quàm multorum vulgi.
- 2 Platonem solum pluris fecit Socrates quàm reliquos .
- 3 Gloriæ varia definitio & eius declaratio. & nu. 7.
- 4 Bona honoraria quinque, scilicet laus, honor, & c. sic differunt et seq. & sic conueniunt, nu. 17.
- 4 Laudis definitio, & augmentum eius.
- 5 Honoris definitio etiam aucta.
- 6 Fame definitio Iurisconsulti explicata .
- 6 Fama in proposito quid.
- 6 Iulius Cæsar, licet malus, fuit gloriosus.
- 7 Mardocheus quomodo gloriosus.
- 8 Reuerentiæ definitio perpensa.
- 8 Reuereri quo modo quis se ipsum potest.
- 8 Bonum naturale supernaturali minus, eiq; subiiciendum.
- 8 Bona nostra vt nostra minora nostris, vt diuinis.
- 9 Christus vt homo orat se ipsum vt Deum.
- 9 Episcopus, vel alius vti se ipso maior.
- 10 Definitio vnius rei una tantum .
- 11 Honor, & laus vt differunt.
- 12 Honorato quo respectu debetur honor, & quo laus.
- 12 Laus quo respectu Deo conueniat.
- 13 Gloria quædam filia laudis, & honoris.
- 13 Reuerentia non est honor, & vt finis eius.
- 14 Reuereri, honorare, laudare, & glorificare sic se habent, vt posterius prioris aliquid adiiciat. & seq.
- 16 Honor multa significat.



I V A R T A Conclusio est ; bonum testimonium vnius recte gloriam vocari, desumitur ex illis verbis Apostoli relatis in textu. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientia nostra.* cui consonat illud eiusdem 2. ad Corin. 10. qui gloriatur. quod iuxta vnam trium expositionum S. Thomæ ibi significat, vt qui querit gloriam, querat eam in Domino, cognoscendo eum scilicet, & diligendo, iuxta illud Hieremiæ cap. 9. *In hoc gloriatur qui gloriatur*

gloriatur scire, & nosce me. et ita cognitio & dilectio Dei, qui vnus est, gloria vocatur. Et ad hæc illud S. Hierony. relatum cap. gloria. 12. q. 2. *Gloria Episcopi est pauperum inopiis providere.* facit cap. sacerdos. 1. q. 3. & quæ vterque Thomas post B. Paulū ponit 1. ad Corint. cap. 9. quod perspicuum est, eum aliis ignorantibus facere posse, vt B. Nicolaus relatus à S. Antonino tres virgines, nemine sciente dotauit : & vulgatū illud est, maiorem esse laudem paucorum laudatorū, quàm multorum illaudatorum, quod plane significat Persius Saty. 1.

Non si quid turbida Roma eleuet accedas.


- 2 cui satis quidem consentaneum est illud Socratis, dum pluris fecit Platonem solum in auditorio suo cæteris abeuntibus remansisse, vt eum audiret; quàm si eo solo abeunte cæteri remansissent. Cuius rei rationem insinuauit S. Thomas 1. 2. q. 2. art. 2. ad 3. esse præstantiam iudicij, quæ sapientes vulgo præstant.

Opposita Conclusioni.

C O N T R A conclusionem hanc facit primo, quod gloria, quàm Græci δόξαν appellant, definitur a D. Ambrosio, quem S. Thom. sequitur 1. 2. q. 2. art. 3. & melius 2. 2. q. 103. ar. 1. ad 3. & 132. art. 1. & lib. 3. contra Gentiles. cap. 29. clara cum laude notitia; & à Marco Tulio quem etiã idem S. Thom. probat, frequens de aliquo cum laude fama. & à S. August. lib. 5. de ciuita. cap. 12. iudicium hominum bene de hominibus opinantium. At vnius testimonium non est clara cum laude notitia, neque iudiciū hominum. ergo neque potest esse gloria. Secundo, quod si bonum testimonium posset appellari gloria, consequeretur laudem & honorem vnam & eandem rem esse cum gloria & fama. quod aperte falsum esse infra ostendemus. Tertio facit illud Fabij apud Titum Liuium, *neque tempus gloriandi mihi apud vnum est.* Et communis omnium præsertim S. Thomæ 2. 2. q. 132. art. 1. & q. 103. art. 1. ad 3. de malo q. 9. conclusio est, Gloriam appellari græce κλαρίον id est claritatem, & manifestationem bonitatis, & excellentiæ vnius apud plurimos. ergo ad hoc vt approbatio gloria dicatur non sufficit, vt fiat ab vno. Quarto, quod fama, iuxta omnium sententiam, minor est quàm gloria : quæ tamen non dicitur haberi de aliqua re, eoquod vnus vel alter id proferat; sed requiritur vt maior pars cuiuspiam vniuersitatis id efferat, iuxta Bartholū, in l. de minore. §. plurimū. nu. 7. & 13. de quæstio. Abbatē ca. vestra. de cohabi. clerici. & mulier. nu. 12. & communē sententiã multis textibus suffultam, quorum optimus est cap. inquisitionis. §. quæsiuisti. vbi Panor. Felin. & alij, de accusatio. & relati à Felino in cap. cū oporteat. nu. 6. eod. tit.

Confutatio

Confutatio oppositorum.

4  D horum contrariorum locorum dissolutionem, & totius materię pleniorē declarationem, tria pręsupponimus. primum est, hęc quinque bona honoraria, Laudē, Honorem, Famam, Gloriam, & Reuerētiam inter se se differre. quod primo probatur ea firma ratione, quod earū definitiones sūt diuersę: laus enim latine, Gręce vero κλέος, est iuxta S. Augustinum, & S. Thom. sermo elucidans magnitudinem uirtutis. Cui quidem definitioni licet ab omnibus recipiatur, addenda est illa particula quatenus in aliquē finem ordinatur, ob ea quę idem S. Thom. & Antoninus infra relati in alio loco dixerunt. Conuenit etiā intelligere, quod uerbo, uirtutis, in definitione posito comprehendatur quodcunque bonum siue animę, siue corporis, siue fortunarum: etenim quodlibet horum secundum omnes est laudis capax. Quapropter longe perfectior esset definitio, si loco illius uerbi, uirtutis, reponeretur uerbum, boni, & adderetur finis eius aliquid, sic laus est sermo elucidans magnitudinem alicuius boni, quatenus est ad aliud ordinatum. Honor uero latine, quem Gręci τιμήν appellant, est iuxta Aristot. & S. Thomam 1. 2. q. 2. art. 2. & 2. 2. q. 63. art. 3. ac alios quod refert S. Antoninus. 4. partit. 5. cap. 10. §. 1. exhibitio reuerentię in testimoniū alicuius excellētia. quę definitio licet cōmuniter recepta sit; oportet tamē, aut certe expedit addere ei, sine eius in alium finem relatione. Fama gręce φήμη Calistrato Iuriconsulto in l. cognitionem. §. existimatio. ff. de variis, & extraord. cogni. est dignitatis illesę status legibus ac moribus approbatus. cui definitioni addit Bernardi glossa cap. uestra. de cohab. cle. & mulie. in ullo diminutus. quę tamen uerba Accursius subtilius apposuit eisdem Calistrati uerbis non addendo, sed exponendo uerba illa, illesę dignitatis. quę omnia probant famam esse dignitatis illesę statum, legibus ac moribus approbatum in nullo diminutum. Quę definitio licet ab omnibus probetur; licet sit Iuriconsulti; & ideo necessario defendenda, & suo proposito aptissima: nōstro tamen nihil deseruit. Tū quia iuxta illam de nulla re alia, quā de uirtute animi haberetur fama. at in materia, de qua in pręsenti agimus, habetur fama etiā de aliis bonis, tum animi, ut ingenii, iudicii, memorię, morum & studiorum; ad Salomonem enim audita fama sapientię illius uenit Regina Sabā. 3. Reg. 10. & 2. Paral. 9. tum corporis, ut uelocitatis, uirium, pulchritudinis, proceritatis, & habitudinis; iuxta illud Genes. 6. Gigantes uocauit scriptura uiros potentes, & famosos. tum fortunarum, ut diuitiarū, & dignitatis. Hester 9. fama Mardochei quotidie crescebat. Denique quia

secundum

secundum illam nulla fama esset de malis, uitijs, & peccatis, neq; de infamibus, de quibus tamen habetur fama; immo & gloria, quę est plusquam fama: Henricus enim VIII. Anglię Rex, cuius cor & sensus singulari sua clementia Spiritus sanctus Deus Opr. max. illuminet, malus; hæreticus, & infamis est: quia omnis hæreticus est talis, l. quisquis. §. 1. C. ad leg. Iuli. maiest. cap. 2. §. hæretici. & cap. statutum 2. de hæret. lib. 6. nec ullā famam haberet; habet tamen, immo gloriā, quod omnes alios Reges doctrina, eruditione q; superet; & quod in Martinum Lutherū adeo loculēter, atq; erudite scripserit, ut ob illud accerrimi protectoris Ecclesię nomē meruerit teste Io. Rosen. in libro de uerita. corp. & sang. pag. 2. licet postea grauissime fuerit lapsus, indiesque magis ac magis labatur. Iulius item Cęsar infamia tyrannidis in Rempub. Romanā laborauit, nihilominus tñ ob eius singularem in bellis gerēdis industriā, & alias egregias animi sui dotes gloriosissimus fuit. Itaque fama, ut in proposito sumitur, est multorum de aliqua re uoce prolata opinio. quia in significatione sumitur in sexta conclusione, ut in ea fusius tradetur.

7 Gloria Gręcis δόξα, est clara cum laude notitia, ut paulo supra secuti S. Ambrosium & S. Thomam definiuimus. in qua definitione licet cōmuniter recipiatur, aperiendum est uerbum laude non capi ita stricte ut supra dum definitum fuit, sed large ita quod etiam honorem includat, quo modo capi infra multis locis dicemus. nam laus ut supra definiēbatur, uerbis tantum constat: at fieri potest, ut aliquis consequatur gloriam sine uerborum laude solum ob honores, ut Mardocheus ille clarissimę Regiņę Hester auūculus cito fuit assecutus, Hester cap. 6. Reuerentia deniq; quę quintum est, à Thoma Valdensi lib. de sacramenta. cap. 18. col. 6. definitur animi reputatio, qua quis bonitatem alterius magni facit, & suam illius collatione parui. Contra quam definitionē, licet id nemo animaduertat, facit efficaciter, quod non solum possumus reuereri alios, sed etiam nosmetipsos. Tum quia possumus subijcere nos, qua parte sumus nudi diuinis donis gratuitis nobismetipsis, qua parte sumus eis uestiti. Tum quia etiam possumus subijcere nos uti nudos bonis naturalibus quę sitis nobismetipsis eis uestitis: iure enim possumus subijcere minora maioribus. Tum quia sicut alios ob sua bona naturalia, vel gratuita iuste laudare, & honorare possumus; ita nosmetipsos propter eadem interdum iure laudare, & honorare possumus: cum secundum pręfatas definitiones laudis, & honoris, laus & honor dici possint exteriores notę, interioris reuerentię. Denique quia omnia quę sunt à nobis, tanquam à nobis, quę sunt parua, & imperfecta, debemus subijcere omnibus bonis à Deo nobis datis, iuxta illud Apostoli. 2. Corinth. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra à Deo est. Cum igitur reuereri aliquem sit eum aliquo respectu superiorem putare, & qui subijcit se ui-

G

rem

rem naturalem, & sua vti naturalia ipse sibi vti Christiano, & rei quadamtenus supernaturali, & donis à Deo gratuito datis reputet se ipsum; hoc vno respectu consideratam maiorem se ipso alio respectu considerato efficiatur, posse quem se vno respectu considerantem se ipsum alio respectu consideratum colere, & reuereri. Quapropter videtur mutandum in prædicta definitione ly, aut alterius, in ly alicuius: ita quòd definitur esse reputatio animi, qua quis bonitatem alicuius magnificat, & suam illius collatione parui. neque refert an illa bonitas sit in ipsomet reuerente, an in alio. Cui quidem definitioni sic innouatæ præclare excellenterque concinnunt hoc caput & Apostolus in eo relatus, quatenus habent, conscientiam nostram nobis esse testem, testimoniumque suum nobis veriore[m] gloriam parere, quàm alienum. Id quod probant & alia multa huius libri cap. & facit illud S. Thomæ 2. 2. q. 161. art. 3. quòd humilitatis virtus non inclinat nos ad subiiciendum bona à Deo nobis data illis, quæ alteri dedit, si iuste putamus illa esse minora. neque ad subiiciendum nos, quatenus habemus maiora, illis quatenus habent minora; tametsi quæcunque sunt in nobis tanquàm à nobis, & nosmetipsos quatenus sumus res naturales cum illis, subiicere debeamus bonis supernaturaliter à Deo nobis & proximo datis; ac ipsi proximo tanquam illis aucto & ornato. quod vti nam ob mentis nostræ oculos iugiter versaretur. Facit rursus quòd dominus, & redemptor noster quatenus homo reueretur se ipsum quatenus est Deus. Lucæ 6. & S. Thom. 3. par. q. 21. art. 1. & quòd Episcopus quatenus canonicus (quando etiam canonicus est) honorat, & reueretur se ipsum

9 in episcopum, cap. à collatione. de appellat. lib. 6. Cum igitur per omnia prædicta constet definitiones horum quinque laudis scilicet honoris, famæ, gloriæ, & reuerentiæ esse diuersas: cumque teste Aristotele lib. 1. Topicor. vnius rei vnica sit definitio, consequitur hæc quinque esse inter se diuersa, ratione firma supra proposita. Secunda ratio, qua prædicta quinque diuersa esse probantur, est, quòd ea quæ differunt nomine sunt diuersa. l. si idem. C. de codicil. §. est & aliud. instit. de donatio. Tertia, quòd tota Ecclesia Christiana laudando Deum illis verbis laus, honor, virtus, gloria Deo, & aliis similibus præsupponit ea esse diuersa.

10 Quarta, quòd duas differentias Diui Thomas 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3. & Antoninus 4. par. tit. 5. cap. 10. §. 1. sub fin. constituunt inter laudem & honorem. altera quòd laus solis verbis constat; honor vero non solum verbis, sed etiam aliis signis exterioribus. altera, quòd laus est testimonium boni alicuius rei, referendo eam in alium finem; honor vero est testimonium absolutum boni absque vlla relatione in alium finem, qui bonum illud consequatur. Quarum quidem differentiarum prior per prædictas definitiones probatur; dictum quippe fuit, laudem esse sermonem dilucidantem magnitudinem virtutis. Secunda vero illo dicto

lo dicto Aristotel. Ethicor. 1. innititur. *Optimorū non est laus, sed aliquid maius laude.* & in eo psalmo 31. in quo nostra translatio habet: *Te decet hymnus in Sion.* habet Hieronymiana, vt testatur S. Thomas, *Tibi filet laus in Sion.* Accedit iis quòd sacræ & diuinæ literæ habent, Deum maiorem esse omni laude. quam quidem differentiam breuiter, ac graphice, descripsit Bap. Mantuanus illo distico.

*Est honor in portu, cum puppis ab æquore venit,
Laudibus inceptum continuatur opus.*

12 Et licet communis opinio has differentias sine vlla alia dolabra amplectatur; tamen prima videtur aliquantulum dolanda, limandaque vt scilicet intelligatur de laude strictè sumpta, vt ibi ab Aristotele capitur; & non de laude large, vt vulgo accipitur: siquidem Angeli laudant, & benedicunt Deum sine exteriori sermone *Laudate dominum*, inquit, Regius propheta psalm. 148. *omnes angeli eius.* Neque plane credendum est, non laudasse Deum Zachariam nouem illis mēsis. quib. loquella caruit. Sol item, & Luna, & omnes stellæ dicuntur suo modo laudare Deum: & Regius psaltes illos ad id inuitat d. psal. 148. *Laudate*, inquit, *eum Sol & Luna; laudate eum omnes stellæ & lumen.* & maior est laus animæ interior sine vlllo sermone, quàm laus exterioris sermonis sine interiori anima, iuxta illud Apostoli ad Colossen. 3. *Laudātes & psalentes in cordib. vestris.* id sic exponente S. Hieronymo à nostro Gratiano relato. cap. 1. 92. dist. Secunda item differentia, quatenus scilicet ex ea colligitur, laudem non cadere in Deum, cum sit maior omni laude, dolanda, limitandaque videtur; vt procedat tantum quoad ineffabilem eius essentiam, quæ non potest, neque debet in alium finem referri; cum illa sit omnium finium extremus & vltimus: ratione nāq. eius operum & effectuum, qui in alium finem referuntur apposite digneque potest maiestas sua laudari, iuxta illud Isaïæ cap. 63. *Laudem Domini anuntiabo super omnibus quæ reddidit nobis Dominus.* vt declarat S. Thom. 2. 2. q. 91. art. 5. ad 2. & Antoninus par. 4. tit. 5. cap. 10. §. 1. & corroboratur illo psalmorum, *Laudate dominum quoniam bonus.* & *Laudate dominum omnes gentes.* & *Laudate pueri dominum.* In quibus omnibus nos Regius psaltes & Ecclesia crebrò inuitant ad laudandum Deum.

13 Quinta ratio, quòd inquit S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 2. gloriam esse quasi filiam laudis & honoris: quippe ex laude alicuius extensa venit in illius bonitatis cognitionem. Sexta, quòd idem S. Thomas ait, eadem q. 103. ar. 1. ad 1. reuerentiam non esse idem quod honor: sed aliquando finem, aliquando causam eius: sæpe enim aliquem honoramus, vt ab alijs magnificat. aliquando, quia eum magnificamus, honoramus. & reuerentia est, qua bonū alicuius magnificamus. Septima, q. Thom. Vualden. doctissimus vir, & de Christiana religione benemeri-

tus de sacrament. tit. 1. 4. cap. 118. col. 5. notat reuereri, honorare, laudare, & glorificare ita ordinari, vt posterius aliquid priori adiiciat. Reuereri etenim est secum reputare, & in honore habere bonum alicuius. Honorare est aliquo exteriori signo illam reuerentiam exprimere: nunc quidem verbis, nunc gestu, nunc capitis apertione, nunc statua, nunc sedili, aut aliquo munere. Laudare autem est coram aliis probare bonum, quod in aliquo est. Glorificare vero eiusdem laudes predicare, & quasi publice publicare.

- 15 Ex quibus quidem omnibus inferitur primo, inueniri posse reuerentiam sine aliis: potest enim inueniri in aliquo reuerentia interior erga alium; quem tamen non laudet, honoret, predicet, neque glorificet, vt palam est. Secundo, quod inueniantur reuerentia, & laus sine reliquis: potest. n. quis aliquem reuereri, simul & verbis laudare referendo id in alium finem. Tertio, quod possunt inueniri reuerentia, & honor sine aliis, potest quippe quis reuereri aliquem animo, & alio signo exteriori, sine verbis, non referendo id in alium finem; quod totum proprium est reuereri, & honorare. Quarto, quod potest haberi fama sine gloria, honore, & laude: etenim potest haberi de aliquo bona opinio sine illius tanta diuulgatione, quæ non sufficiat ad efficiendam gloriam; ad producendam autem famam sic, & absque signo exteriori laudis, vel honoris, sine quo non erit laus, nec honor: attamen erit fama. Quinto, quod non possunt haberi laus, & gloria sine reuerentia, laude, & honore, vt cuique id altius speculanti patebit. Sexto, quod verbum gloria, quod ponitur in illo Apostoli à B. Gregorio hic citato, non capitur proprie, & strictè, vt supra definitur: sed ita large vt includat omnem approbationem etiam, vnius, & solius conscientie proprie; vt testatur S. Thomas 2. 2. q. 132. art. 1. qua in significatione capitur in illo Hieremie, cap. 9. quod paullo supra recitauimus, & in alijs multis locis vt in cap. gloria episcopi. 12. quæst. 2. cap. sacerdos. sub finem 1. q. 3. faciunt quæ vterque Thom. post B. Paulum 1. ad Corinth. cap. 9. scribit. Septimo, quod etiam verbum, honor, vt supra definitur, capitur proprie & strictè pro solo signo reuerentie alio, quam verbali exteriori in testimonium alicuius excellentie exhibitæ, in alium finem non relatæ: & non ita large, vt complectatur quodcunque signum exterius, siue verbis siue alio modo exhibitum in testimonium alicuius excellentie relatæ, siue non relatæ in alium finem: quo in significato sæpè accipi, testatur S. Thomas 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3. dicens, quod tunc honor sub se continet laudem tamquam genus suam speciem, & tamquam id, quod generalius est includit quod specialius est: neque accipitur adeo large, vt contineat publica munera, & reipub. administrationes, vt in multis legibus Romanis rubr. ff. de muner. & honor. & l. 2. & l. honorem. & l. ut gradatim. & l. honor. eod. tit. & l. in honoribus. & l. his honoribus. ff. de uacatio. muner.

ner. passim includit. Neque mercedem, aut præmium, ut in l. remunerandi. in princ. cum glos. ff. manda. & in illo Paul. 1. ad Corinth. 5. *Qui bene presunt præsbyteri duplici honore digni habentur.* Neque pulchritudinem quemadmodum in illo Virgiliano Aeneid. 2.

Et latos oculos afflarat honores.

Neque castitatem, ut illo eiusdem lib. 1.

Et rapti Ganimedis honores.

Neque funus, ut in illo lib. 6. eiusdem

Et mortis honore carentes.

Neque amorem, ut alia eiusdem

Si quis amare, tangit honos animum.

Neque tam late, vt contineat solam interiorem reuerentiam, quam mente sola sine exteriori signo Deo, vel alteri exhibemus. quo modo solere aliquando vsurpari testatur S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. Octauo, quod etiam verbum laus, vt supra definitur, capitur proprie & strictè pro solo exteriori sermone, quo approbatur bonum alicuius ad alium finem relatum; ita vt non contineat honorem proprie, & sumptum, vt supra definitur; quamuis frequenter ita large accipiatur, vt includat illum, & probatur per quoddam dictum S. Ambrosii, in quo certam partem orationis vocat laudem: at oratio potius est honor, quam laus: quia est actus illius virtutis, quam Latini religionem, Græci vero *λατρίαν* appellant. Tum quia in Deum non cadit laus proprie & strictè sumpta, nisi eo modo, quo paullo superius expositum fuit: neque quidem adeo large capitur vt includat virtutem, ut in illo Virgilij


Prima merui qui laude coronam.

Bona prefata quinque honoraria in quibus conueniat.

S V M M A R I V M.

- 17 *Bona honoraria non sunt virtutes, neque per se amanda.*
 17 *Virtus est bona qualitas mentis, &c.*
 17 *Virtute nemo male utitur, alijs sic.*
 18 *Bona honoraria ob aliud tantum amanda.*
 18 *Bona, quæ ob se tantum, quæ ob aliud, quæ ob se, & aliud amanda.*
 19 *Bona honoraria pretiosiora pecuniarijs.*
 19 *Bonorum exteriorum maximum honor.*
 19 *Restitutio cur non fit cum honoris damno.*
 19 *Vxor mæchata non tenetur se infamare ob hoc.*

- 20 *Bona honoraria inferiora bonis vite, & salutis.*
- 20 *Deus vti est solus dominus vite.*
- 20 *Bonorum honorariorum dominus etiam priuatus homo.*
- 20 *Vite tuenda cur maior cura, quam reliquorum.*
- 21 *Morte non peiora infamia & adulterium. nu. 22.*
- 21 *Moriendum pro honore quo sensu verum. & nu. 25*
- 21 *Eleazarus noluit mori pro gloria. & nu. 25.*
- 21 *Mors, & vulnus vt pecunia restituuntur. & nu. 26.*
- 22 *Intellectus l. isti quidē . ff. quod met. caus. & l. in codicillis. §. à matre. nu. 23. & nouus vtriusque nu. 24.*
- 22 *Morte peius peccatum presertim mortiferum.*
- 23 *Patrem magis quis debet diligere, quam filium.*
- 23 *Vita data tollitur per mortem dandam per mechiā.*
- 24 *Gloria Romanis Ethnicis finis vltimus fuit.*
- 25 *Moriendum non pro honore, sed pro virtute eo digna.*
- 25 *Milites vt errant patiendo magnos labores*
- 25 *Martyres victorum genus optimum.*
- 26 *Bonorum honorariorum restitutio quomodo fit.*
- 27 *Bona honoraria cur dicuntur exteriora.*
- 28 *Gloria large, & stricte accipitur.*
- 28 *Definitur sepe aliquid per effectum.*
- 28 *Appellatio quomodo sententię recessio.*

17  **E**CVDVM principale, quod ad oppositorum solutionem, totiusque materie dilucidationem præsupponimus, est, quod præfata illa quinque laus, honor, fama, gloria & reuerentia; quamuis non parum inter sese differant, vt supra monstrauius; in multis tamen conueniunt. Primum est, quod non sunt virtutes neque morales, neque intellectuales, neque Theologicæ, vt palam est. Tum quia virtutes omnes sunt habitus & qualitates, quæ animam magnificè exornant, ampleque illustrat, vt aperte colligitur ex definitione magni Augustini lib. 2. de libero arbit. & S. Thomæ 1. 2. q. 55. art. 4. facit gloss. penult. cap. ille rex. de pæniten. distin. 3. & gloss. §. hæc quæ ante. cap. dum setam. de pæniten. distin. 2. virtus scilicet, est bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nullus male vitur. Et constat, quod nullum horum quinque est qualitas anime, saltem illius, cui fiunt, aut exhibentur, saltem quatenus illi fiunt: igitur non sunt virtutes. Dixi autem, quatenus illi fiunt; eoquod per supradicta in definitione reuerentiæ, potest quis se ipsum reuereri, laudare, & honorare. & tunc temporis eadem anima, quæ reueretur, laudat, & honorat, dat, & recipit diuerso respectu illam reuerentiam, laudem, & honorem. Tum quia nullo illorum, saltem immediatè bene viui.

ne viuitur; immo illis passim abutitur. multi enim contenti aura populari, & quod pro bonis habeantur, rumore de vano populari, alienisque testimoniis sunt mali & vitiosi; quæ est miseria incomparabilis secundum Boetium lib. 2. de consola.

18 Secundum, in quo prædicta quinque conueniunt, est, quod omnia sunt bona vtilia; idest amabilia, siue appetibilia tantum propter aliud & non propter se. non etenim sunt virtutes, nec bona honesta, quæ propter se & propter aliud iuste amari possint, vt testantur Diuus Ambrosius & S. Thomas nec minus sunt Deus, qui propter se tantum, & non propter aliud amari potest, vt nuper longe post hæc scripta tradidimus in commen. cap. cum minister. 28. q. 5.

Tertium, quod omnia hæc quinque, quæ uamuis non sint virtutes, nec bona honesta, sed tantum vtilia; sunt tamen prætiosa, & inæstimabilia; & quæ suapte natura superant omnia alia bona vtilia pecuniaria, iuxta illud Salomonis Prouerb. 22. *Melius est bonum nomen, quam diuitiæ mul-
tæ.* & illud Iesu filij Sirach Ecclesiast. 41. *Curam habe de bono nomine; magis enim permanebit illud, quam mille thesauri magni, & pretiosi.* & glossa extrauag. ad conditorem. Ioan. xxij. de verb. sign. verb. honori. dixit hominem præferri omni diuitiarum commodo. & Aristoteles, 4. Ethico. cap. deteriores. 6. q. 1. quem sequitur S. Thomas 2. 2. q. 129. art. 1. vbi etiam alter Thomas, & q. 131. art. 1. ad 2. & q. 103. art. 1. ad 2. & aliquid 1. 2. q. 2. art. 2. ad 1. ait, honorè bonorum exteriorū maximū esse, aded quod ipse Tho. à Vio 2. 2. q. 62. art. 6. & fin. & alij præcellentes doctores alibi definiat, neminè in foro cōscientiæ teneri alteri ad restitutionē bonorum pecuniariorū, si eam nō potest facere absq; suæ famæ honorisq; sui iactura. bona enim famæ & honoris sunt altioris ordinis, & vt ita dixerim, quidditatis, quam bona pecuniaria. Ex quibus inferūt præf. Tho. à Vio, Tomo 1. opusculorū opusc. 31. respon. 14. & alij alibi vxorē, quæ mechata est, non obligari in foro conscientię palā facere, se admisisse adulterium; etiam si per illum solum modum, & non alium filio s mariti sui legitimos seruare posset à damno partis bonorū, quod paterentur, filio adulteri illam vendicante. & ad id allegant Decretalem solennem Innocentij I I L. cap. officij. de pæniten. & remissio. quæ licet, vt aliquando super ea diximus, non loquatur expresse de iactura famæ, sed de iactura vite: vt etiam Marcellus Iurisconsultus in idipsum allegatus in l. in seruorum. ff. de pennis. de bonis corporis loquitur; tamen idem dicendum est de iacturæ bonæ famæ, vt longè post hæc scripta latius tradidimus in Manua. Confess. cap. 16. à num. 43.

20 Quartum, in quo hæc quinque conueniunt, est, quod omnia sunt ex sese minora, quam vita, & valetudo commoda, lumen oculorum, & alia corporis bona; vt post alios tradidit eruditissimus Dominicus à Soto de ratio. regen. & dereg. secreto. memb. 1. q. 3. Primo quia solus Deus.

Deus est dominus vitæ, id quod significat illud Deutero. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* & illud Sapien. 16. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* quamuis etiam Respubl. eiusdemque rectores, & magistratus maiorem super ea ab Immortali Deo sibi tributam quàm ceteri priuati habeant, cap. ille gladiû. 23. q. 4. & cap. si nõ licet. 23. q. 5. licet etiã ipsi sint dñi sui honoris, fame, gloriæ, & laudis vt infra probabimus. Secundo, quia vita est basis, & fundamentû reliquorû bonorû, ad quã tuendã & conseruandã maior est insita nobis à Deo cura, quàm ad tuenda & conseruanda illa l. vt vim. ff. de iust. & iure. cap. dilecto. de senten. excommu. lib. 6. Postremo, quia non est nobis data facultas comeandi ex hac vita ad aliam, iuxta Diuum Thomam 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3. cum tamen interdum concedatur comeandi de statu decoris & famæ, ad statum dedecoris & infamiæ. cap. 1. de peniten. dist. 4.

21 Cæterum contra hanc conclusionem facit primo, quod Iuriconsultus Paullus in l. isti quidem. ff. quod metus caus. videtur definire infamiam morte peiorem esse. Secundo, quod Scauola in l. codicillis. §. matre. ff. de leg. 2. videtur respondere adulterium vxoris marito peius esse morte. Tertio, quod Ludou. Rengrossus apud Gaguin. lib. 6. Salust. in Catelli. & Iugur. Valer. Max. lib. 5. tit. de gratis. de Fabio Max. & plerique omnes scriptores, & probi omnes aiunt, moriendum esse honorato pro honore. Et de El eazaro memorat Machabæorum historia lib. 2. cap. 6. quod gloriosam mortem magis, quàm odibilem vitam completens gaudenter præibat ad supplicium. Quarto, quod damnum per mortem, vel membri mutilationem, aut vulneris illationem datum potest iure naturali, diuino, & humano pecunia restitui, secundum leges Exodi, cap. 21. Pontificias cap. 1. de iniuriis. & Romanas. l. ex hac. ff. si quadru. paupe. fecis. dica. l. fin. ff. de his qui effud. l. qua actione. in princ. ff. ad l. aquil. S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad. 1. & communis in 4. lib. sent. dist. 15. & plane non alia ratione quàm quod valori vitæ & sanitatis potest æquari valor pecuniæ. ergo bona corporis non sunt maiora pecuniariis.

22 Ad hæc tamen opposita respõderi potest. ad primum quidem, quod Iuriconsultus Paullus in d. l. isti quidem. ff. quod metus causa. non dixit infamiam peiorem esse morte; licet multi eum ad id allegent: sed dicit quod vir & femina pudica & honesta potius debent ferre mortem, quàm consentire stupro vel adulterio, quod est verum: etenim hoc est peccare mortaliter, & optare, atque eligere mortem animæ ad euitandã mortem corporis, vt diximus in Man. Confes. cap. 16. nu. 44. & in comment. cap. humane aures. 22. q. 1. nu. 9. Vnde Odofredus per illum textum notat probari animam præponendam esse corpori. & Albericus addit eodem textu comprobari hominem potius debere mortem sufferre, quàm mortifere peccare. quod licet contextus in specie, & à parte non dicat,

dicat, satis tamen illud colligeret, qui expenderet, peccare mortaliter quæ metu etiam mortis stupro, vel adulterio consentit.

23 Ad fm respondetur primo, qd Scauolæ in d. l. codicillis. non æquat adulteriû morti, neque cum ea illud cõparat: nam vt ibi dicit Iacobus de Arenis, verbis illis filium nostrum occidit, & alia deteriora fecit, recte intelligi potest eum suum patrem illi occidisse. quod est peius, quàm occidere filium. Licet enim multa sint, ob quæ inclinatur pater ad amandum plus filium suum, quàm patrem; nihilominus tamen magis obligatur ad diligendum patrem tanquam principium, causam, & fontem, à quo emanauit; quàm filium, vt optime exponit Diuus Thomas 2. 2. q. 26. art. 9. Quamobrẽ peius esset occidere illi patrem, quàm filiû. Scdo rñdetur, qd Scauola non comparat adulteriû cum propria morte, sed cû morte filij. Et ita tm probaret, peius esse marito adulteriû, quàm mortem filij, sed nõ peius esse quàm mortem propriã. qua de re licet fufius, non tamen adeo resolute locuntur Ioan. Lup. de donatio. inter virum, & vxor. fol. 56. col. 4. Andr. Sicul. & Decius in cap. atsi. §. de adulteriis. de iudic. Neque arbitretur quis nos dicere velle, non esse peius ac grauius ex se peccatum mortis filij, quàm adulterium; hoc enim plane falsum est: nam homicidium est contra primum mandatum secundæ tabulæ; adulterium vero contra tertium, iuxta glossam cap. quid omnibus. 3. 2. q. 7. ab omnibus receptam in d. §. de adulterijs. & per homicidium aufertur vita data; per adulterium autem impeditur danda, vt inquit S. Thomas, 2. 2. q. 122. art. 3. quem maxime in hoc Caietanus præ-

24 dicat. Posset etiam responderi præfatis duabus legibus non minus vere, quàm noue; quod eorum auctores fuerunt ethnici Romani, qui gloriam pro fine vltimo, ac summa sua beatitudine habebant, vt testatur Diuus Augustinus lib. 5. de ciuita. Dei cap. 12. in hac verba *Romani pecuniæ liberales, & laudis auidi erant; gloriam in gentem diuitias honestas volebãt; hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc viuere voluerunt, pro ea mori non dubitarunt.* hæc ille. quos & Marcum Tullium postea vehementer reprehendit; tametsi non desint etiam hodierno die Christiani aliquot, qui licet non verbis, factis tamen eos sequantur gloriam, & honorem tanquam idolum quadantenus colentes. Quapropter merito dici posset Paulum & Scauolam putasse illud idem, quod illa Lucretia, Cato Uticensis, & alij ethnici Romani, qui videntur gloriam & famã pro suo vltimo fine habuisse, cum ob eam mortem sibi cõsciuerint; quos etiam idem Augustinus vbi supra cap. 13. & seq. reprehendit, & ita putasse illos peius esse perdere famam & gloriam, quàm vitam.

25 Ad tertium respondetur, illud commune dictum, moriendum esse pro honore, communem errorem esse: etenim pro honore mortem optetere non est fortitudo vera, sed falsa, secundum Aristotelem 3. Ethico. ab omnibus receptum, in quibus D. Gregor. in cap. omnes. 47. distin.

S. Thomas 2. 2. q. 128. art. 1. ad 7. Et ad hoc ut præfatum commune dictum non sit communis error, sed verum, debet capi in eo sensu, ut significet, moriendum esse pro eo, cui honos debetur, id est pro virtute, & non pro honore, qui virtuti debetur, quique longe minor est illa.

Quocirca omnia dicta tam catholicorum, quam ethnicorum, quibus docent eligendam esse potius mortem, quam turpem, & ignominiosam vitam interpretanda sunt; ut significant potius vitandum vitium, & peccatum, à quo oritur infamia & turpitudine, quam mors honesta, quæ iuste ac gloriose subitur, ac tollatur. Qua plane in re, tum intelligenda, cum exercenda bene videtur bona pars militum & nobilium errare, dum potius labores intolerabiles, & mortem ipsam pro diuitiis & honoribus tollerant quam pro virtute, quæ in defendenda rep. & obseruando iuramento suo Imperatori & Regi præstito consistit; displicentes in eo Deo grauiter; cum pari labore possent eos tollerare principaliter pro virtute, & minus principaliter pro diuitiis, & honoribus Deo in eo multum placet: neque nos qui in scholis publicè interpretamur, & acta publica inimus ab hoc vitio longe abhorremus. Eleazarus autem nolebat mortem ob gloriam & honorem, sed ob legum diuinarum obseruantiam, atque custodiam, quæ gloria & honore maximo digna est; ob quam & martyres dicuntur ab Ecclesia victorum genus optimum. Neque contextus historiarum habet, quod anteposuerit honorem vitæ; sed quod postposuerit odibilem vitam morti gloriose, & dignæ laude, & honore, quod est præponere virtutem vitio, & eligere potius mortem quam peccatum.

Ad quartum respondetur concedendo, quod aliquando tam iure naturali & diuino, quam humano fit aliqua restitutio damni illati per mortem, mutilationem, vel vulnera; negando tamen quod id fiat in præteritum vitæ, membri, vel vulneris, quæ æstimari non possunt: sed in præteritum damni ex eis emergentis, vel lucri ob ea cessantis.

26 Quintum in quo præfata quinque reuerentia scilicet, laus, honor, fama, & gloria conueniunt est, quod licet nullum eorum sit vere æstimabile: tamen damnum, quod ex eo provenire potest quadantenus æstimatur, dum arbitrio boni viri pecunia reficitur læsio in aliquo eorum accepta, non quidem omnino debita quantitate, & qualitate eorum: sed arbitraria secundum communem sententiam, quæ in multis locis concludit, quod cum non potest læsa fama restitui, debet pecunia refici damnum ob eam læsionem susceptum, sicut in fine conuenientiarum præcedentis de bonis corporis & salutis dictum est.

27 Sextum in quo prædicta quinque conueniunt, est, quod omnia fere hæc bona, ut Boetius inquit lib. 2. de consolatio. sunt exteriora, & in potestate aliorum sita: ex tant enim teste S. Thoma 1. 2. q. 2. art. 2. in voluntate & opinione aliorum volentium illa dare, vel tollere, quod etiam ex
suis

suis definitionibus constat. Dicitur autem, fere, propter limitationem, quæ potest colligi ex definitione reuerentiæ ex ijs, quæ in ea diximus, & postea iterum tetigimus in prima conuenientia.

Responsio oppositorum Conclusioni.

28 **I**s igitur breui præsuppositis de quidditate, differentia, & conuenientia præfatorum quinque bonorum honorabilium, respondetur ad omnia simul opposita conclusioni. Primum quod hoc verbum gloria in nostro textu, & conclusione positum non accipitur strictè, ut supra definitum est, iuxta mentem Marci Tullij, S. Ambrosij, & S. Thomæ: sed large, ita ut includat etiam notitiam approbatiuam paucorum: immo & vnius tantum, & solius conscientie proprie. Secundo quod laus, honor, & gloria res diuersæ sunt strictè acceptæ, ut accipiuntur in supra traditis definitionibus: sed large ea accipiendo omnis honor potest dici laus; & contra omnis laus honor. Tertio quod licet, ut supra dictum est, gloria proprie strictè sumpta sit filia laudis, & honoris; tamen potest accipi pro sua causa, ut sepe causa sumitur pro effectu, ut D. Augustinus definiendo fidem dixit: *Fides est credere quod non vides.* cum tamen fides sit habitus, & causa ad credendum mouens, & non idem actus credendi: & Azo in summa tit. de appellat. relatus à Bart. in l. i. ff. eod. & defensus à Decio, & à nobis in rubrica de probationi. dixit appellationem esse sententie rescissionem; cum tamen appellatio sit causa rescissionis sententie, & non idem actus rescissionis iuxta omnium receptam opinionem.

*QVINTA CONCLUSIO.**S V M M A R I V M.*

- 1 *Bona quinque honoraria licet appetere, & amare.*
- 1 *Laude, gloriaque humana licet gaudere.*
- 2 *Bona honoraria contemni & appeti possunt.*
- 3 *Gloriam bonus & ignauus diuersa tamen via querunt.*
- 3 *Gloriam ab humili queri ut intelligendum.*
- 3 *Humilitas Latino Ethnico non est virtus.*
- 4 *Periculis olea caput ornatum.*

- 4 *Corsna varia pro varijs gestis.*
 4 *Femine vno viro contentę que laurea.*
 4 *Laurea mineruales cur scholasticis prestiturę.*
 4 *Braua certantibus cur prestituta.*

1



VINTA conclusio supra deprompta; nempe licere gloriam & laudem appetere, & eadem gaudere, depromitur ex illis verbis Apostoli à S. Gregorio hic relatis, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientie nostre.* quæ verba aperte probant Apostolum gauisum fuisse testimonio conscientie suæ, appellando illud gloriam suam. Et per eadem ampliatur conclusio, vt non solum procedat in appetitu, & gaudio glorię, & laudis humanæ, qua homines nos laudant: gloria enim conscientie, de qua in præsentia Apostolus & Gregorius verba faciunt, humana & non diuina est. Ampliatur etiã, vt procedat in appetitu & gaudio gloriæ & laudis diuinæ, qua quæ Deus probat: sed etiam in appetitu, & gaudio glorię, & laudis humanæ exterioris aliorum hominum: ac etiam in appetitu honoris, famæ, & reuerentiæ. Primo quia omnia ista sunt bona magna, & prætiosa, & maiora, quàm pecuniaria, vt supra in conclus. 4. num. 19. probatum fuit. Secundo facit, quod licet vitam appetere, & illius usu gaudere, vt gauisus fuit Paulus, quando quidam præfectus custodiæ eum de manibus Iudeorum insidiantium, ei liberavit Actor. 21. cap. quando item se ab insidiantium sibi eripuit. Et quod licet bona valetudine gaudere, vt aptis in id verbis Diui Hieronymus, cap. non mediocriter. cap. nec tales. cap. legimus. de consecr. distin. 5. & Chrysostomus cap. nihil. de consecr. distin. 5. significant. Et eadem fere ratione ampliatur ad alia bona honoraria famæ, reuerentiæ, & laudis, & honoris, de quibus supra in conclus. 4. num. 20. dictum est: etenim licet hæc non sint adeo magna ac bona vitæ & valetudinis; in multis tamen eis assimilantur. Facit etiam, quia sicut appetitus, & gaudium laudis, honoris, gloriæ, & reuerentiæ ex se non sunt bona; ita non sunt de se mala: sed sunt indifferentia, vt S. Thomas notat 2. 2. q. 132. art. 1. & q. 129. art. 1. ad 3. præsertim vero in quolibeto 12. in art. 13. in hæc verba, *Vtrumque, scilicet & contemptus famæ, & appetitus potest esse laudabilis & vitiosus.* Et probatur ea ratione, quod illorum obiectum nihil habet, quod cum recta ratione pugnet. Qua eadem ratione nos quoque supra in prælud. 3. num. 1. diximus, silentium & locutionem sicut non sunt de se bona, ita nec esse de se mala; sed indifferentia. Facit etiam quod D. N. IESVS CHRISTVS apud Matthæum 5. cap. inquit. *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* & Salustius in Catelli. quem refert S. Thom. 2. 2. q. 131.

q. 131. art. 1. ad 3. ait, *Gloria & honorẽ bonus & ignauus aequè exoptat. sed ille vera via nititur, hic, quia ei bonæ artes desunt, dolis, atque fallaciis contendit.* Et Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. postquam profecutus est res à quoddam nobili Romano gestas, ijs verbis concludit, *Nulla est ergo tanta humilitas, quæ dulcedine glorię non tangatur.* Quam sententiam videtur referre Diuus Antoninus 2. par. tit. 4. cap. 1. in princ. dum inquit, ethnicum quendam dixisse, nullam esse tam absolutam virtutem, quam dulcedo glorię non attingat. quod quidem Valerius non videtur voluisse dicere, sed aliud, nempe nullum esse adeo vilem & abiectum, qui glorię cupiditate interdum non tangatur. Tum quia Latinis ethnicis, de quib. erat Valerius, verbum humilitas non significat virtutem humilitatis, quæ etiam Aristoteli fuit incognita, sed abiectiõnem, & vt ita dicam, vilitatem. Tum quod res illa gesta, de qua loquitur Valerius, significat hanc fuisse illius mentem. Facit etiam, quod Athenienses clarum Periclis caput vt boni ciues olea coronarunt, decreueruntque, vt idem de cætero alijs fieret, qui Pericli similes existerent. Et idem Valerius lib. 2. cap. 1. de Areopagit. narrat, Romanos constituisse, vt illi femina, quæ solo vno marito contenta esse, corona pudicitie donaretur. Et Plinius lib. 3. cap. 4. post & ante alios attestatur multas diuersorum generum coronas à Populo Romano inuentas fuisse, quibus bonos ciues honorarent; alias quidẽ pro illis, qui ciues suos in prælio seruarent, alias pro illis, qui primum murum subirent, inq. oppidum hostium per viam ascenderent, alias tandem pro illis qui præclarum aliquod facinus gererent; vnde alias appellarunt ciuicas; alias murales; alias vallares, seu castrenses; alias tandem nostrales. Ex quibus omnibus plane percipitur honestum & laudabile duxisse summan illam Romanorum prudentiam, vt sui ciues honorẽ, famam, laudem, & gloriam expeterent, eamq. ardentem quærent: idq. indicat Diuus Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei cap. 12. illis verbis. *Romani gloriam ardentissime dilexerunt; propter hanc uiuere voluerunt; pro ea mori non dubitarunt.* Id quod etiam sanctissimus idemque doctissimus vir probat varijs ex Virgilio desumptis carminibus, cui addi potest & illud 5. Aeneid.

Vitamque volunt pro laude pacisci.

& ætate nostra viri Christiani, qui torneamenta, siue iustas instituerunt maiora braua, siue præmia proponunt illis, qui dexterius certauerunt: & exercituum imperatores atque præfecti præclara braua præstituunt eis, qui vel in prælijs, insultibus, & incursionibus illo aut illo modo se insignes fecerint. Ad quorum similitudinẽ toto Christiano orbẽ sunt multæ institutæ præclaræ academię, dotibusque magnis dotatæ, in quibus scholastici diligentem litteris operam nauantes varijs laureis minerualibus siue gradibus, immunitatibus varijs, & præminentis do-

nantur; vt laudis, & gloriæ cupiditate, & infamiæ, & ignominia metu plus discant, vehementiusque laborent: quas plane omnes academias Sancta sedes Apostolica suis diplomatibus & bullis laudat, atque approbat: quod tamen non faceret, si desiderium, & appetitus gloriæ humanæ peccatum esset.

Octo contra conclusionem opposita.

S V M M A R I V M.

- 5 *Amor laudis qui bonus, & qui malus. & 8.*
- 5 *Gloriari in Domino, vt intelligendum.*
- 6 *Opprobrium meum amputa, vt intelligendum. & 9.*
- 6 *Amor gloriæ parit timorem infamiæ.*
- 6 *Gloriæ amor vt parat casum fidei.*
- 7 *Prædicans ob laudem non meretur laureolam.*
- 7 *Magnanimo quare res parua honor, & eius munera. & 11.*
- 7 *Catonem gloriæ fugientem ea sequebatur.*
- 7 *Gloria multis nocuit.*



ALTERVM contra hanc conclusionem multa opponuntur. Primo illud Augustini lib. 5. cap. 3. de Ciuit. Dei superius in oppositione 6. primæ conclusio. allegatum, *Sanius videt, qui laudis amorem vitium esse cognouit.* Quo in loco carpit Ciceronem aientem reip. expedire, vt ciues sui excitentur, & accendantur ad studium laudis, & gloriæ.

Secundo, dictum illud Paulli 2. ad Corinth. 10. *Qui gloriatur in Domino gloriatur.* scilicet eoquod habeat eum cognoscendo & diligendo, iuxta vnā expositionem ex tribus, quas ibi tradit S. Thomas; vel gaudento rebus eius, quatenus eius sunt secundum aliam expositionem; vel referendo omnia ad eius gloriā, secundum tertiam. Igitur qui gaudet honore, & laude non referendo ad Deum illa, vel aliis rebus quatenus suæ non sunt, peccat.

Tertio commentariolus ille D. Bernardi nu. 81. super prædictis Apostoli verbis scriptus, in quo post multa concludit, nos debere laudem appetere, vt solum laudemur à Deo, & non ab hominibus iuxta illud Ieremiæ cap. 19. *In hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me.*

Quarto q. Apostolus 1. ad Corinth. 4. dicebat. *Mibi aut pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; sed neq; me ipsum iudico.* hoc est, vestrum de me iudicium parui æstimo. quinimmo neq. iudicium meum mihi satisfacit, vt ibi vterq. Thomas exponit. Et ad Theſalon. 2. *Neque gloriā*

gloriā ab hominibus querentes.

6 Quinto, illud Ieremiæ cap. 51. *Nolite timere opprobriū hominū.* Et illud Regij psaltis psal. 118. *Amputa opprobriū meum quod suspicatus sum.* quod secundum recentiorum expositionem significat, Aufer à me opprobrium infamiæ & ignominia; & consequenter amorem honoris; & gloriæ; timor enim infamiæ de amore honoris, & gloriæ nascitur: & difficilius est resistere infamiæ metui, quàm appetitui honoris & famæ.


Sexto, illud eiusdem veritatis Matthæi cap. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominib. vt videamini ab eis, alioquin mercedem nō habebitis apud patrem vestrum, qui in calis est.* Et paullo post obiurgat hypocritas, qui publice orabant, vt laudarentur ab hoibus & Iob cap. 5. *Quomodo potestis vos credere, qui gloriā ab inuicem accipitis.* Per quæ verba notauit S. Augustinus, lib. 5. de ciuit. Dei cap. 14. hoc vitium appetitus gloriæ humanæ vehementer repugnare fidei Christianæ. Cui addunt doctissimi recentiores; pertimendas esse vires appetitus gloriæ humanæ, qui non solum charitatem tollit: sed etiam fidem periclitari facit, & illas esse causam præcipuam, quæ magnates, qui condemnantur, ducit ad infernum.

7 Septimo, quod vanitatem appetere est peccatū, iuxta illud psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem?* Et illud psal. 118. *Auerte oculos meos ne videāt vanitatem.* Et fama, honor, laus, & gloria videntur esse quedam vanitates. adeo quod etiam discere ob laudem sit vanitas, iuxta illud Bernardi sermone 36. super canti. col. 3. *Sunt qui scire volunt, vt sciantur, & turpis vanitas est.* Et S. Thomas quolibet. 15. art. 24. definit eos qui laudis gratia recte concionantur laureolam non mereri. Et quolib. 5. art. 12. dixit, eos qui appetunt aliquod munus, siue officium peccare, aut peccatum superbiæ, aut iustitiæ, quod & tenet S. Augustinus, 19. de ciuit. Dei. relatum in cap. qui episcopatum. 8. q. 1. quem S. Thomas fecutus est.

Octauo, quod Aristotelis 4. Ethic. aiebat (id quod aliqui nobiles parum perpendunt) non esse magnanimo cura vt lauderetur. Et cuidam philodoxo responsum fuit, summam esse laudem non ambire laudem. quibus quidem omnibus satis consentit S. Augustinus, lib. 5. de ciuitat. cap. 12. dum refert illud Salustii de Marco Catone, quo minus appetebat gloriā; illum ea magis sequebatur. Confirmantur etiam hæc omnia, quod gloriā non paucis nocuit; Photionem enim, & Socratem duro veneno necauit; Aepaminundam, & Scipionem capitaliter accusauit; Marcum Catonem quadragies adegit in necessitatem depellendi opposita sibi crimina, quod multi narrant.

*Confutatio oppositorum.**S V M M A R I V M.*

- 8 *Appetitus laudis qui bonus, & qui malus.*
 8 *Augustinus cur carpat ad gloriam incitantem.*
 9 *Paulinum illud, mihi pro minimo, & c. ut intelligendum.*
 10 *Finis vltimus vel principalis nequit esse vllum bonum honorarium.*
 11 *Laudem summam non esse nullam ambire laudem.*

8  D tria prima opposita respondetur, quod D. Paullus, Augustinus, & Bernardus in illis citati non damnant omne desiderium, & appetitum horum quinque, nempe reuerentia, fame, gloriae laudis, & honoris: sed tantum inordinatum, vanum, & malum, cuiusmodi erat Romanorum, vt infra dicitur; declarando quis honor, & quae fama dicantur vana, & quae mala. Augustinus autem non carpit Tullium, eo quod scripserit reip. interesse ciues suos incitari, inflammariq. ad famae atque gloriae cupiditatem ordinatam, solidam, & bonam; cuiusmodi erat caelestis, & etiam terrena, concurrentibus circumstantiis, de quibus infra dicitur: sed quia ei visus fuit praecipuum rerum gerendarum finem esse gloriam, & famam; hoc enim non solum est vanum; sed etiam falsum, & praeposterum, cum sit ordinare maiora, nempe virtutes, ad minora, scilicet ad praedicta quinque, quae supra conclusione 4. nu. 19. diximus longe minora virtutibus, & facere finem de iis, quae sunt media ad finem. quod omnium iuri est contrarium: iure enim naturali, & diuino inferiora debent seruire superioribus, & non contra superiora inferioribus. quod Persius tamen Ethnicus pulchre notat illis senariis.

*Non ego cum scribo, si forte quid aptius exit,
 Laudari metuam, neq. enim mihi cornea fibra est:
 Sed recti, finemq. extremumq. esse recuso
 Euge tuum, & belle.*

9 Ad quartum respondetur, Diuum Paullum in eo citatum non dicere, quod reputaret malum, vt ab omnibus laudaretur, neque quod eius pigebat: sed tantum dicere, quod laudem humanam pro re minima, & incerto testimonio habebat, docendo nos, quod quamuis liceat hominum laudem & gloriam appetere tamquam testimonium humanum & incertum, ac tamquam bonum quoddam temporarium paruum; qualia sunt etiam caetera temporaria: non tamen licet eam appetere tamquam bonum magnum & perpetuum, & tamquam testimonium certum, quod

quod non impugnat: sed declarat nostram conclusionem.

Ad quintum respondetur, quod Dauid & Ieremias non praecipunt ne infamiam, & ignominiam timeas: sed ne timeamus, illa plusquam ratio dicitur. id est ne metu infamiae & ignominiae quidquam vetitum admittamus, ne ue quidquam praecipuum omittamus ne ue transgrediamur legem diuinam aut humanam, a cuius obseruantia vllus metus infamiae excusat, vt supra praclusimus. praesidio vlt. nu. 2.

10 Ad sextum respondetur quod Dominus & Redemptor noster, a quo tamquam ab uberrimo, perennique fonte Dauid, Ieremias, Paullus, Augustinus & Bernardus suam scientiam hauserunt, illud ipsum, quod ipsi, dicere voluit; nempe vt nihil agamus praestituendo nobis in finem vltimum, & principalem scopum humanam gloriam, quod infra magis aperietur. Neque Caietanus in eiusdem argumenti calce citatus aliud voluit dicere.

Ad septimum fatemur esse peccatum saltem veniale expetere vanitates, & consequenter esse peccatum expetere aliquod horum quinque reuerentiae, laudis, honoris, famae, & gloriae quando sunt vana: verum tamen negamus quod semper sint vana, vt infra explicabitur.

Ad octauum respondetur, elogia in illo citata apte concludere, haec quinque non esse admodum magna bona: quoniam non sunt bona animae, vt explicatum fuit in 4. conclus. nu. 17. & quod ideo magnanimus parui faciat illa; quia de paruis non multum curat. Fatemur etiam virtuosum esse contemnere illa, quando, & quomodo ratio distat: negamus tamen quod ea praefata conclusionem expugnent, cum potius declarant. Illud vero elogium *Summa laus est, non ambire laudem.* magis pulchrum est, quam verum. Tum quia per sepe dedecus est non appetere laudem cap. non sunt audiendi. 11. q. 3. Tum quia laudabilius est amare Deum, quam contemnere laudem: nam amare Deum est actus virtutis charitatis virtutum omnium principis, 1. ad Cor. 13. & S. Thom. 1. 2. q. 66. art. 6. & 2. 2. q. 23. art. 6. & reuereri Deum actus patriae, siue religionis moralium summæ: contemnere vero laudem est actus humilitatis & magnanimitatis, quae sunt longe praedictis duobus inferiores. Neque illud S. Augustini probat illud elogium: quoniam licet probet dignum esse laude contemptum gloriae: non tamen probat dignum esse magna laude.

S V M M A R I V M.

- 12 Bonum nullum pecunia, vel honoris est finis principalis boni actus, & num. 31.
 13 Iustus non est qui facit iustitiam, nisi id faciat, quia iustum est.
 14 Bonum non est dare, facere, bene vivere ob victum, vel pudorem principaliter: sed sic minus principaliter. & 35.
 14 Baptizatur qui ob ueniam pene principaliter peccat. & 20.
 15 Actus omnis inordinatus malus.
 16 Metu agere, vel parere ut bonum, vel malum: & nu. 19.
 17 Bona in opera incitare brauijs, ut bonum.
 17 Bona honoraria, vel temporaria promittere sacra suscipienti, vel facienti, litteras discenti, & docenti, concionanti, & psallenti, an bonum. & nu. 20.
 18 Bona corporalia, pecuniaria, & honoraria precari, perere, ac querere, an bonum. & nu. 19.
 21 Timore seruire Deo an bonum. & nu. 22.
 22 Finis duplex operationis, & operantis; ille potest esse lucrum temporarium, hic vero non principalis.

12 **N**unc quintam conclusionem, & supra dicta consequuntur multa corollaria. Primum, quod neque laus, neque aliquod horum quinque potest esse finis principalis: adeo quod omnia opera etiam ex se bona, & optima facta principaliter ob laudem, honorem, famam, gloriam, & reuerentiam sunt peccata saltem venialia. Quod probatur primo per illud Evangelii Matth. 6. & declaratum supra citatum in 6. arg. contra conclus. factum, *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Et per illud eiusdem, *Te autem faciente elemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* ubi B. Augustinus nomine sinistrae intelligit appetitum gloriae; & nomine dexterae appetitum adimplendi preceptum, vel consilium. Et ita vetat facere bona opera, & adimplere precepta principaliter propter laudem, id est praestituendo eam in finem principalem eorum.

13 Secundo probatur per illud Persij satyra 1. *Recti sineq; extremumq; esse recuso, euge tuum, & belle.* licet, ut idem paulo inferius subdit, virtutis studiosus, siue virtuosus possit recte vera laude virtutis suae debita gaudere: non tamen potest studiose, siue virtuose aliquid facere principaliter

liter ob eam quaerendam.

Tertio probatur, & maxime declaratur per illud Adriani quolib. 10. art. 10. eruditissime dictum, quod in praesenti ad verbum ob duas causas referat. Altera est quae addit, hoc corollarium procedere, non solum quoniam honor praestituitur tamquam finis principalis totus, siue totalis, & integer boni operis: verum etiam quando praestituitur tamquam partialis, siue pars principalis totius finis. Altera quod ampliat hoc procedere etiam si praestituantur bona temporalia vitae, ac salutis pro fine principali, totali, vel partiali: eius enim verba sunt haec: *Qui vult bene agere, Deo placere, iuste iudicare, liberalem, fortem, magnanimum temperatum, se exhibere propter honorem corporis salutem, hominum gratiam, vel pecuniam, aut aliam quamlibet temporalem mercedem, siue intendat, ut finem totalem, siue ut finem partialem, actus nec iustus, nec liberalis aut magnanimus est: sed agit male, & peccat.*

13 Quarto probatur, quod Aristoteles in Ethicis lib. 3. & Dicitur Thomas, et caeteri, qui ea de re scripserunt, definiunt, eum qui pugnat in bello, & animose occidit, aut occiditur, non esse censendum fortem, neque virtuosum, si fecit id principaliter honoris humani, vel gloriae causa, aut metu infamiae, vel ignominiae. Qui etiam lib. 5. cap. 13. concludit; solum illum iustum iustitia speciali esse, qui facit aliquid, eo quod est iustum; & non qui facit illud ob ignorantiam, obliuionem, timorem, vel alium respectum licet bonum; non tamen quia id est iustum,

14 Quinto, quod Durandus 2. lib. sentent. dist. 38. q. 2. inquit, concionantem ut victum paret, non mereri; immo peccare quanto minus meretur, qui ut paret gloriam concionatur? & Almaynus cap. 12. moral. col. 3. censet peccatum esse dare elemosynam ob Dei amorem, & humanam gloriam: et Caietanus in summa cas. 7. pag. 2. eum qui elargitur, ut laudetur, venialiter saltem peccare: et Adrianus quolibet. 10. q. 1. lit. M. ait pie, & sancte vivere; ob diuitias, non esse pie, & sancte vivere; neque velle placere Deo propter terrena bona esse Deo placere: & Gratianus noster cap. fin. 23. quaest. 6. eum qui dat ob pudorem, & rem, & merita perdere: et paulo post addit: bonum fieri non timore, sed amore iustitiae. Quod plane ipsum sentit, D. Augustinus cap. vides. 23. q. 6. & cap. ad fidem. 23. q. 5. Immo Iudaeus, Turca, vel Paganus ad mortem damnatus, qui principaliter baptizatur, ut ei poena remittatur peccati; sed non tantum, quantum si prorsus baptismum renueret. Quapropter licet eum ad id inuitare, iuxta eiusdem Gratiani sententiam: quoniam quamuis non liceat inuitare aliquem ad peccandum; saltem si ad id non est paratus: licet tamen inuitare ad minus peccandum, ut singulariter sentit D. Augustinus cap. si quod verius. 33. q. 2. quem secutus praedictus Adrianus quolib. 9. lit. e. vehementer carpit eos, qui contra dicunt, probatq; etsi melius caeteris concilian-

do omnes resoluat Caietanus 2. 2. q. 78. art. 4. & tomo 1. opus. tract. 1. respons. 13. & diximus nos post S Thom. quol. 2. ar. 12. in Manual. Confess. cap. 17. nu. 263. & ille angelicus Thomas definit, concionantem ob aliquod præmium temporale peccare. Per quæ quidem omnia factis, superq. apparet nullam actionem bonam esse, cuius finis principalis est acquisitio honoris, gloriæ, pecuniæ, redditus, seu prouentus, muneris, vel aliorum quorumcunque bonorum temporariorum.

Sexto denique principaliter probatur id ipsum ea potissimum ratione, quod nullus actus potest esse bonus, nisi recte rationi consonet, iuxta Arist. 2. Ethic. cap. ratio nulla. cap. ad hæc. de præben. S. Thom. 1. 2. q. 100. at non consonat rectæ rationi, vt supra etiam traditum est, vt maius, & melius bonum inferuiat minori, & minus bono arg. cap. ad hoc. 89. dist. 1. 1. in princip. ff. de aqua plu. ar. cen. idem S. Thom. in 2. lib. sentent. dist. 38. q. 1. ar. 1. sub fin. & art. 2. in 3. arg. nec consequenter quod maius, & melius est inferuiat tamquam medium ad consequendum id, quod minus, & minus bonum est; cum finis debeat esse medio longe præstantior, vt late nuper in comment. de finib. human. actuum super cap. cū minister. nu. 17. tradidimus. Cū igitur virtutes, & omnia honesta sint maiora, meliora, atque præstantiora, quàm hæc quinque, vt, ex supradictis constat; adeo quod hæc non sunt appetibilia, nec amabilia propter se, vt illa, S. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 6. sed tantum propter aliud, plane consequitur facere bona opera, actusque virtutum propter hæc quinque minime consonum esse rationi; cum sit accipere id quod maius, & melius est pro medio assequendi id, quod minus, & minus bonum est; & consequenter peccatum quia est actus inordinatus; & quia secundum Apostolum Roman. cap. 3. relatum à Bonifacio in extrau. vnam sanctam. de maior. & obed. *Quæ à Deo sunt ordinata sunt.* & secundum Iustinianum imperatorem semper Augustum in §. nihil. auth. de hered. & falcid. col. 1. *nihil debet esse inordinatum.*

Opposita contra primum corollarium.



16 **A**LTERVM contra præfatum primum corollarium facit primo, quod licet pœnis cogere homines ad bene faciendum, beneque operandum, vt fuse probat Gratianus 23. q. 6. per totam. tum multis Augustini autoritatibus; cum rationibus. Et Innocentius huius nominis I I P. in Concilio generali cap. vt clericorū. de vita & honestate cleric. ea ratione constituit certas pœnas contra clericos fornicarios, vt quos *diuinus timor à malo non reuocat: temporalis saltem pœna cohibeat, à peccato.* Quibus verbis præsupponit non peccare illum, qui omittit male agere

ob

ob metum pœnæ temporalis. Et vniuersalis Catholica Ecclesia suis sacratissimis cōstitutionibus; & Imperatores, ac Reges suis sacris legibus pœnarum timore compellūt; alios quidem ad implenda promissa; alios ad reddenda iuramenta; alios ad restituenda, & reficienda damna proximo data cap. 1. cap. qualiter. de pactis. cap. quauis. eod. tit. lib. 6. cap. cum contingat. de iureiur. & authen. sacramenta pauperum. C. si aduersus vditionem. & ff. & C. ad leg. Aquil. cap. 1. & fin. de iniur. At si metu, vel vi aliquid facere esset peccatum; sequeretur Ecclesiam, & Imperatores inuitare subditos ad peccandum pœnis à se constitutis; quod absurdum esse nemo non videt.

17 Secundo, quod licet fideli offerre infideli munera, & dona; vt fidem catholicam recipiat; immo vt id fiat aliquorum regnorum legibus cauetur. Probe item faciunt qui famulos suos, & famulas promissis aliquot munusculis inducunt ad sacram confessionem, vel communionem faciendam, vel suscipiendam. Item qui constituunt quotidianas distributiones canonicis, vel clericis horis canonicis interessentibus. Et Scholasticis qui tanto, vel tanto tempore studuerint; & Doctoribus qui illud vel illud munus; illam vel illam cathedram; illud vel illud suggestum vel pulpitem subierint, vel rexerint, & alia huiusmodi plura.

Tertio, quod Redemptor noster Matth. 10. iubet nobis, eum timere qui potest animam, & corpus perdere in gehennam. quo plane in loco, verbum illud timere secundum Gratianum 23. q. 4. in summa. & potuit colligi ex illo Psal. 11. *Seruite Domino in timore.* significat cum timore seruire. Et idem Apostolum Paulum quasi inuitum, coactumque conuertit Acto. 10. & 23. q. 6. in summa. Nabuchodonosorem flagellis saluum fecit cap. Nabuchodonosor. 24. q. 4. & Patriarchas, vt eos meliores efficeret, modo beneficiis animabat, modo fame dure exercebat cap. non omnis. 5. q. 5. Et populum Israeliticū, vt & hodie Christianū nūc malis curabat, nunc donis recreabat. Ex quibus quidem omnibus colligi videretur, iuste posse quem animæ salutem, virtutesque alias querere operibus præmij amore, vel formidine pœnæ factis; & consequenter illis quæ facit appetitum querendi, vel metu amittendi præfata quinque, vel illorum aliquod.

18 Quarto, quod licet à Deo precari salutem, & alia bona vitæ humanæ; vt fuit precatus Salomō Proverb. 30. in hæc verba, *Tribue victui meo necessaria.* & auctore S. Augustino lib. de orando Deum ad Probam. id licet orare, quod licet desiderare; immo & Redemptor noster Matth. 6. Lucæ 11. nos docuit petere temporalia per illa verba, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* & sancta est (secundum Satyricum receptum à Christianismo) oratio quæ petit mentem sanam in corpore sano. At oratio est actus virtutis, & non qualis qualis; sed omnium moralium supremæ; est enim actus, teste S. Thoma 2. 2. q. 83. art. 3. illius virtutis quam,

quam Græci latrariam, Latini vero religionem appellant, quæ est iuxta eundem 2. 2. q. 81. art. 6. moralium omnium princeps. Præterea licet pauperi, & inopi eleemosynam petere, atque magnatibus à Regibus munera postulare, cum debitis saltem circumstantiis: laureæ item minorales, siue doctoratus, ac magisteria ab scholasticis eruditis sanctè petuntur, cap. quanto. de magist. & clem. 1. eod. vt S. Thomas disputando concludit quolib. 3. art. 9. Romanorum insuper Imperatores coronas sibi debitas iuste petunt clem. 1. de iureiur. l. fin. C. de quadrienn. præscript. & Summi Põtifces summis infulis ornari iure optimo procurant procem. reg. Cancel. gloss. in data Sexti. à quibus quidem omnibus directè honor petitur: quinimmo frequenter etiam in iudicio honor debitus postulatur, & vt quis in eius possessione defendatur, petitur, cap. licet causam. de probation. Licet item mercari ad quærendum lucrum, quo quis se honeste sustentet vt S. Augustinus cap. quando. 88. distin. ait, & disputando S. Thomas concludit 2. 2. q. 77. art. 1. Denique quòd licet iuste delatam hereditatem adire ff. de acqui. hæred. legata, & fideicommissa capere, ff. de legatis 1. quorum plane omnium finis est lucrum.

Confutatio oppositorum.

19



D primum horum oppositorum respõdetur, fatendo quidem licere compellere homines ad faciendum opera de se bona: negando tamen quòd qui ea faciunt principaliter ob metum, & compulsionem probe faciunt, & non peccant. Nec ista quidem sibi mutuo repugnant. Etenim vt ait Aristoteles 6. ethic. aliud est opus de se bonum esse, aliud vero bene illud facere: nam qui ob metum vel verecundiam audit missam, vel sua peccata confitetur opus virtutis, & de se bonum facit: sed non illud bene facit, immo peccat. Præterea qui abstinet ab exteriori peccato principaliter ob metum, verecundiam, vel pudorem non abstinendo ab interiori, male facit, & peccat licet minus vt plurimum, quàm si ab exteriori non abstineret, S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 4. quia vt plurimum pauciores circumstantiæ augentes peccatum, inueniuntur in peccante mente sola, quàm in peccante mente, & opere sine actu exteriori. Neque abs re tamen nos arceat Ecclesia metu pœnarum à peccatis exterioribus; quia saltem operatur, vt ab eis metu pœnæ coerciti, postea paulatim ac sensim incipiamus sponte ab eis etiam interioribus abstinere; quod plane multis declarauit S. Augustinus cap. ad finem. 23. q. 5. & cap. vides. ead. causa. q. 6. & post eum Gratianus sub cap. fin. ead. q. 6. Illud autem Innocentij I. l. in argumento citatum intelligendum est, quòd licet abstinere à

re à peccato principaliter metu pœnæ non sit actus omnino bonus; dirigit tamen, & ducit ad actum bonum; vt quis assuescendo metu pœnæ abstinere ab actu exteriori; incipiat etiam simul abstinere ab interiori virtutis amore. Quo ipsomet modo intelligenda sunt tam canonum, quàm legum statuta impellentia metu pœnæ ad implendum honesta; & fugiendum contraria, iuxta illud Horatij in epistol.

Oderunt peccare boni virtutis amore;

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

20 Ad secundum respondetur, negando quòd ex prædicta conclusione sequatur, peccatum esse offerre aliquod munus, vel donum infideli, vt conuertatur. Tum quia non offertur illi, vt principaliter ob illud conuertatur; quia hoc esset peccatum: sed vt conuertatur. Sed ille sanctè potest conuertere se principaliter quidem propter Deum, & minus principaliter propter munus; quod non est peccatum. Tum quia licet offerretur ei, vt se conuerteret saltem principaliter propter munus, quod esset illi peccatum: non tamen offerens peccaret; cum non inuitet ad peccandum: sed ad minus peccandum. magis enim ille peccaret permanendo perseuerandoq; in infidelitate: quàm conuertendo se etiam principaliter propter munus: quoniam inuitare ad minus peccandum nõ est peccatum, vt prædictum est.

21 Ad tertium respondetur dupliciter, primo quòd Redemptor noster docens timere illum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennâ, noluit significare quòd seruire Deo principaliter propter timorem sit bonum: sed quòd est bonum impelli quem timore pœnarum ad seruiendum ei principaliter, eoquòd sit dignissimus qui colatur, honoretur, & ametur; itaquòd timor pœnæ sit causa impulsiva seruitij; & causa principalis maiestas, & bonitas eius. Secundo quòd seruire ei etiam principaliter timore pœnæ est minus malum, quàm seruire malle aliis principibus, aut nolle nullo modo ei seruire: sicut acus, & setta quæ seorsum non possunt bene conseruire; neque conseruire consutam vestem coniunctim introducunt filum, quod id efficit cap. sicut setta. & cap. qui vult. de peniten. distin. 2. Primo quidem quòd aliud est Deum diligere, ac illi seruire principaliter propter ipsum, & quia ei omne obsequium debetur; & minus principaliter propter metum pœnæ quo ad id impellimur; quod plane est bonum, & honestum. de quo modo rimedi potest intelligi illud Iesu Christi Domini nostri in oppositum citatũ. Et aliud est ei seruire primo, & principaliter ne nos puniat, neue condemnet, itaquòd aliàs ei non seruiremus; quod est malum; & de hoc intelligendum est nostrum corollarium.


22 Ad quartum respondetur præsupponedo duo; alterum est, quòd duplex est finis, vnus intrinsecus ipsius operis, siue operationis, qui est obiectum eius; & alter intrinsecus ipsius operarij, siue operantis, vt nuper

nuper longe post hæc scripta clarius in comment. de finibus humanorū actuum super cap. cum minister. num. 7. tradidimus, & infra latius explicabimus. Alterum, quòd etiam duplex est finis principalis, & minus principalis, vt etiam ibidem num. 9. tradimus, & corollario seq. aperius explicabitur. His ita præsuppositis respondeo hoc corollarium intelligi de fine operantis, seu operarij extrinsecò, & principali; & non de fine operationis, & minus principali operantis. Quapropter licet nullum horum quinque, neque aliquid aliud temporale possit esse finis iustus extrinsecus operarij, seu operantis; potest tamen esse finis, siue obiectum operationis, & etiam finis minus principalis operantis; vt vbi supra num. 43. diximus. Vnde consequenter concedimus, quòd licet præfata quinque non possint esse finis iustus operantis principalis iustæ orationis: possunt tamen esse finis operis, siue obiectum iustæ orationis, & petitionis, qua petimus à Deo temporalia: sicut etiam elemosyna, minervales laureæ, infulæ Pontificales, & Imperiales possunt esse finis operationis, siue obiectum iustæ appetitionis, & petitionis; quamuis non possint esse iustus finis extrinsecus operarij, siue operantis illius iustæ appetitionis, & petitionis. Quamobrem esset peccatum, appetere, & petere à Deo temporalia in finem assequendi laudem, vel honorem, non ordinando illa in aliquem vltiorem, & aptum finem; ac etiam appetere, petereque elemosynam, minervales laureas, infulas Pontificales, & Imperiales ad idem finem. Quare vt prædictæ appetitiones, & petitiones, & aliæ illis similes sint iustæ, oportet, vt earū finis principalis extrinsecus operantis sit amandi, vel seruiendi Deo, vel quærendi beatitudinem, vel bene honesteque viuendi secundum rectam rationem, vel alium similem finem bonum & aptum. Qua plane ratione responderetur ad id quod de emptione, hereditatis aditione, legati; vel fideicommissi admissione obiicitur, quòd lucrum est iustum obiectum & finis operationis præfatorum actuum, vel aliquid aliud ex eis immediate resultans: non tamen est finis principalis extrinsecus operantis, sufficiens ad faciendum illos actus bonos, & studiosos, siue virtuosos. Itaque oportet ad hoc, vt sint boni, quòd lucrum quod ex his fit referatur in aliquem vltiorem finem bonum, & aptum: quòd quidem ipsum dicendum est de aliis luapte natura; & obiecto suo in lucrum tendentibus. Et facit ad prædicta, quòd regulariter ex obiecto solo, & fine operationis non redditur actus bonus, nisi alius finis extrinsecus operantis ad id aptus concurrat; quod ex S. Thoma aperte satis colligitur 1. 2. quæst. 18. & de malo quæst. 2. & alibi sæpe.

S V M-

S V M M A R I V M.

- 23 Finis minus principalis actus virtutis potest esse bonum temporarium.
 23 Bonum est seruire Deo, vel Ecclesie minus principaliter ob temporaria.
 24 Beneficium ob aliquod seruire licet minus principaliter.
 25 Opera eo meliora, quo à temporarijs puriora.
 25 Opera quorum finis Deus meliora eis quorum finis aliud.



23 **E**C V N D V M corollarium satis consolatorium, quod ex prædictis omnibus colligitur, est peccatum non esse facere actus virtutis propter aliquod horū quinque non proponendo, aut accipiendo illud pro fine principali totali, vel partiali; sed secundario, & minus principali, & quadam causa impulsiva. Quod quidem corollariū probatur fere omnibus argumentis, & illorum solutionibus aduersus primum corollarium adductis: nam ex illorum primo, si diligenter expèdatur, colligitur, quòd quamuis non liceat facere bonum opus principaliter ob præmium, mercedē, aut metum: licet tamen secundario, & minus principaliter. Ex secundo vero desumitur, quòd licet non sit bonus neque meritorius actus, qui principaliter fit remuneratione temporali: est tamen talis, si secundario, & minus principaliter fiat propter illam. Ex tertio tandem deducitur sanctum esse Deo seruire principaliter propter ipsum, etiamsi metus pænæ, vel spes præmij ad id nos incitet. Præterea probatur hoc corollarium, eo quòd Urbanus cap. sic officia. 59. dist. & Celestinus cap. quid proderit. 61. dist. constituerunt, licere clericis seruire in Ecclesia Dei cū spe ascendendi ad dignitates, & honores. Et Gelasius cap. consuluit. 74. distin. clarius quàm ipsi hæc in verba statuit, *Commoda presbyteri propensius, quàm Diaconi consequantur, vt hac saltim ratione constricti, & honorem quem fugerant appetere nittantur, & quæstum.* hæc ille: & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. de Arcopag. affirmat, vberimum virtutis alimentum esse honorem. quod tamen intelligendum est de honore proposito in finem minus principalem per prædicta. Marcus item Tullius 1. offic. quotidie ab orthodoxis celebratus relatus à S. August. lib. 5. de ciuita. cap. 2. ait, *Honos alit artes.* quod etiam intelligendum est de honore proposito in finem minus principalem; quoniam intelligendo de honore proposito in finem principalem falsum est, & reprobatur ab Augustino vbi supra: quo prorsus etiam modo intelligendum est illud Iuuenal. Satyra 10.

Quis virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas?

& etiam illud cuiusdam philodoxi, *Virtus non aliter gaudet agnosci, quàm sol*

K

sol

sol amat lucere. cui satis post S. Augustinum consentit super illis verbis, *Clarifica filium tuum.* Aquinas 2. 2. quest. 132. art. 1. & S. Antoninus 2. par. tit. 4. cap. 1. §. 1. Præterea corroboratur hoc corollarium multis receptis glossis; quarum vna cap. quid proderit. 61. distin. ab omnibus laudata inquit licere clerico Ecclesiæ inferuire cum spe conscendendi ad dignitatem & honorem; modo principaliter propter id non faciat. Fere idem dicit alia cap. hoc ad nos. 19. dist. cui satis consentanea est alia cap. consuluit. de vsur. aiens quòd quamuis pecunias mutuare principaliter ob lucrum sit vsura: mutuare tamen principaliter ob alium finem rationabilem non est vsura; licet minus principaliter inde lucrum expectetur. Neque plane desunt alia pleraque glossemata cap. suam. & cap. cum esset. de simon. & cap. cum ad nostram. de electio. affirmantia simoniam esse prælato principaliter ob beneficium ecclesiasticum. inferuire; præsertim vero cum pacto: attamen non est simonia inferuire illi principaliter ob alium finem aptum, & secundo propter beneficium. qua quidem de re de morte satis eleganter loquitur Adrianus quolib. 9. art. 2. lit. M. N. O. & aliud glossemma cap. 1. de cleric. non resident. lib. 6. sentit; quòd licet sit peccatum surgere ad horas matutinas principaliter causa lucrandi distributiones: non est tamen peccatum surgere principaliter causa seruiendi Deo, & quærendi suam gratiam, & beatitudinem; & secundo causa lucri. Prætermitto breuitatis causa plerasque alias solennium Doctorum determinationes, & decisiones, quas videre licet apud Adrian. quolib. 9. art. 2. M. N. Silu. verb. simonia. q. 9. Maior. in 4. distin. 15. q. 29. col. 10. & dist. 25. q. 2. col. 2. Iason. in l. si quis nec causam. ff. si cert. pet. Felyn. in cap. non dubium. de senten. excom. cum alijs ab eis citatis.


25 Tertium corollarium est, quòd opera nostra cæteris paribus tanto sunt meliora, quanto minorem mixturam habent appetitus honoris, & gloriæ; & illa excellenter meliora quæ penitus nullam habent: sed solo Dei aut virtutis amore fiunt: quamuis tamen meliora sint cæteris paribus ea, quæ propter Deum, quam quæ propter virtutem. Deus enim vt Ocham lib. 1. senten. q. 1. col. 3. & Gabriel in 2. dist. 38. q. 1. col. 5. pulchre definiunt maior, & melior finis est, quam virtus; quippe qui est finis vltimus, & propter se tantum amabilis; cum tamen virtus sit finis medius propter se & aliud amabilis, vt paulo post explicabitur.

S V M M A R I V M.

- 26 *Finis cognitio iustæ conscientie necessaria.*
 26 *Finis quid.*
 27 *Finis vltimus & medius definiuntur, diuiduntur, & subdividuntur.*
 28 *Finis duplex finis cuius, & finis quo.*

Finis

- 29 *Finis duplex operationis, & operantis, & possunt esse idem diuerso respectu; alter est prior executione, alter intentione.*
 30 *Finis duplex bonus, & malus.*
 31 *Finis principalis alicuius actus virtutis potest esse vita, & salus contra Adrianum.*
 32 *Fines qui principales omnium bonorum, & qui cuiusque virtutis.*
 33 *Fines qui faciunt actus meliores.*
 34 *Finis malus, quia est culpa; & malus quia ineptus differunt.*
 34 *Finis quinto duplex principalis, & minus principalis, & quid illi.*
 35 *Finis minus principalis virtutis potest esse honor, vel lucrum.*
 36 *Actus non est bonus, qui in aptum finem non refertur.*
 36 *Elemosyna maior data maiori petitori quæ liceat.*
 36 *Elemosyna maior; quia petitur publice, quæ mala.*
 36 *Missam nouam facienti, cui plus dari potest.*
 37 *Finis principalis operis potest esse aliqua virtus.*
 37 *Beatitudo cælestis vt dicitur vltimus finis.*
 37 *Fines generales apti omni virtuti qui. & 41.*
 38 *Meritum vt sit quidpiam, in quem finem referendum.*
 39 *Finis operationis, & operantis vt differunt.*
 40 *Relatio virtualis in finem aptum quæ est, & quæ sufficit.*
 40 *Gratiæ magnus fructus relatio actus in Deum.*
 42 *Actus plurimi qui non omnino probandi, nec reprobandi. & 43.*
 42 *Opera bona quæ solius relationis defectu mala.*
 43 *Opus melius, quo finis melior; & peius quo finis peior.*
 44 *Actus etiam suo genere bonus factus in finem quæredæ aliquod bonum honorabile, non referendo illud in altiorem finem, est malus.*
 44 *Actus omnis inordinatus peccatum irreferibile in bonum finem.*
 44 *Peccatum quatenus est tale irreferibile in Deum.*

26  **V**ARTVM corollarium est, multum expedire ad iudicandum, quæ appetitiones laudis, & aliorum quatuor bonorum honorariorum sint bonæ, & quæ male, atque ad bene viuendum, & ad examinandam perfectè conscientiam; atque peccata integre confitendum, nosse, quis dicatur finis principalis, & quis minus principalis actuum humanorum. Quandoquidem omnis actus cuius finis principalis est laus, honor, vel aliud bonum temporale, siue honorarium, siue pecuniarium, est malus propter circumstantiam finis inepti, quamuis ex se, suoq; obiecto sit bonus, & optimus, vt supra in primo corollario explicatum est. num. 12.

Quintum corollarium præsupponendum esse pro huius rei cognitione primum quid sit finis, vt in præsentī hac materia sumitur; &

K 2 deinde

deinde quot modis diuidatur. Finis itaque secundum S. Thomam 1. 2. q. 8. art. 2. vbi hoc Caietanus laudat, est bonum, quod propter se desideratur, siue alia desiderentur propter se ipsum, siue nō; & siue ipsum desideretur ob aliud, siue non iuxta mentem Gregorii Ariminensis & Gabrielis in 2. sent. dist. 38.

27 Sextum corollarium quod finis diuiditur primo in vltimum, & medium. Vltimus est qui propter se tantum amatur. Et hic est duplex, alter vere vltimus, & omnium supremus, & vnus omnium creaturarum scopus; qui propter se tantum, & non propter aliud est amabilis; qualis est solus Deus, vt docet S. Thomas receptus 1. 2. q. 1. art. 7. quippe qui super omnia est diligendus. Alter est falsus, quem falsi homines pro sua falsa imaginatione impudentissime, stolidissimeque, tacite, vel expresse fingunt, & adorant; iuxta illud Apostoli ad Philipen. 3. *Quorū Deus venter est.* qualis etiam voluptas Epicureorum, in quos Cicero duos libros de finibus fere prodegit. Finis medius est, qui propter se, & propter aliud amatur; qui est duplex, alter vere medius, ille scilicet qui vere est propter se, & propter aliud amabilis; quales sunt virtutes, & omnia honesta secundum S. Ambrosium lib. 1. officio. Alter falso medius; ille scilicet qui non potest esse amabilis propter se; qualis est pecunia: vel non est amabilis propter aliud; qualis est Deus. Quæ autē propter se, & aliud amari quæunt sunt omnes scientiæ speculatiuæ secundum Aristotelē, 1. Ethic. cap. 7. & virtutes morales, aliaque honesta iuxta Ambrosium vbi sup. hæc enim recte possunt amari propter se tantum; & iustius propter Deum, vel alios fines eis superiores. An autem delectabilia sint talia quæstionis est. Etenim Diuus Thomas 1. 2. q. 2. art. 6. ait, delectationes esse propter operationes. Et ibidē inquit, delectationes propter se appeti, & nō propter aliud si illud propter causam finalem sonet: immo in eodem loco allegat Aristotelem 10. Ethic. scientem, ridiculum esse ab aliquo quærere propter quod vult delectari; cum palam sit quod propter ipsam delectationem. Et hoc videtur verius per late tradita à Caietano in præcitate loco; vbi dicta Diui Thomæ conciliat, dicens bonum diuidi in bonum propter se, & propter aliud. Bonum propter se in bonū honestū, & delectabile. Quapropter salus, & vita, quæ ad delectabilia reducuntur à Boetio sunt de genere bonorū, quæ propter se solū iuste appeti possunt; id quod ad multa multum perpendere oportet. Cætera vero bona, quæ vocantur vtilia non sunt amabilia propter se; sed solum ob aliud: qualia sunt bona pecuniaria secundum eundem S. Thomam vbi supra art. 1. qualia etiam honoraria; nempe honor, fama, & gloria, iuxta eundem art. 2. & 3.

28 Septimum corollarium, quod secundo diuiditur finis in finem cuius, & in finem quo. quorum plane membrorum nomina quamuis Ciceronianis parum probentur: volentibus tamen perfectam veramque finium

finium cognitionem clare recteque sine fūco, & ambagibus cognoscere valde commoda sunt. Finis itaque cuius est, in quo est ratio boni. finis autem quo adquisitio, & possessio, & vsus eius: vtuari finis cuius est pecunia, in qua est ratio boni; & finis quo est adquisitio, possessio, & vsus eius, vt declarat S. Tho. 1. 2. q. 1. art. 8. & q. 2. art. 7. Quamobrem finis cuius totius humanæ vitæ ipse Deus est, in qua summa, & infinita ratio boni est. Beatitudo autem, qua beati videntes eum eo ipso fruuntur est finis quo.

29 Octauum corollarium est, quod tertio diuiditur finis in finem operis, siue operationis, & in finem operantis, siue operarii. finis operationis est obiectum, in quod suapte natura ipsa dirigitur. finis operantis est in quem per operantem operatio dirigitur; vt cum quis ædificat domum, quo locando eam lucretur, ipsa domus est finis operationis; finis autem operantis est lucrum quod per eam intenditur. Qua quidem diuisione ad graues difficultates diluendas Diuus Thom. vtitur præsertim in 2. lib. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. & 3. & dist. 36. q. 1. art. 5. ad 5. & dist. 38. art. 5. & in 4. distin. 16. q. 3. ar. 1. q. 2. ad 3. & 2. 2. q. 141. art. 6. ad 1. Quibus plane omnibus addo, quod quamuis finis operationis sit tantum vnus; finis tamen operarii, siue operantis potest esse multiplex; nempe ille ipse, qui est operationis, & alii multi: vt ieiunii, quod est operatio, finis est corporis afflictio; finis vero operantis, & ieiunantis potest esse illa, & alia multa, puta vitia comprimere, mentem eleuare, virtutesque augere, vt missæ præfatio habet, & Diuus Thomas declarat. Quamuis item finis operationis, quando est alius à fine operantis, sit prior illo secundum ordinem executionis, vt idem Thomas probat: non tñ secundum ordinem intentionis iuxta illud Aristotelis, *Qui furatur vt adulteretur magis est adulter, quam fur.* & ædificantis domum ob lucrum per locationem eius quærendum; prior & principalior finis est lucrum iuxta ordinem intentionis; quia ille mouet primum ad ædificandum; licet sit postremus in executione, quia post ædificationem domus quæritur.

30 Nonum corollarium, quod finis quarto diuiditur in bonum, & malum. Bonus finis est bonum verum, aptum medio, quo quæritur. non enim potest esse bonus finis, nisi vere bonum: nec sufficit, quod sit vere bonum, nisi medium quo quæritur sit aptum: siquidē non est bonum diligere Deum propter pecunias, vt supra dicitur. Illud autem est bonum aptum, quod est obiectum actus, in quod ille suapte natura dirigitur, aut aliquid aliud illo melius. Finis autem malus est malum culpæ, vel bonum medio, quo quæritur ineptum. Finis enim in quantum huiusmodi superior est medio secundum Diuum Thomam 1. 2. q. 1. art. 1. ad 1. At malum est superiora inferioribus postponere; immo & æquare; cap. statumimus. & cap. solitæ, de maior. & obed. quippe omnia

omnia inordinata mala sunt; cum nihil debeat esse inordinatum. *¶* si vero. vers. inordinatum autem nihil. de hæred. & fals. cap. ad hoc. 86. dist. & quia ea quæ à Deo sunt ordinata sunt, ad Roman. 13. extrau. vnam sanctam. de maior. & obed. & quia prædia inferiora non debent dominari superioribus, sed eis subseruire, l. 1. §. sicut. & l. 2. in princip. ff. de aqua pluuiæ arcen.

31 Decimum corollarium est, quod ex prædictis colligitur primo id quod supra late probatum est; nempe quod quicumque aliquem virtutis actum agit principaliter ob bonum aliquod temporale pecuniarium, immo & honorarium, quod pecuniario minus est, peccat, si actualiter vel virtualiter non referat illud in Deum, aut beatitudinem, vel in aliquam virtutem ei conuenientem generalem, vel specialem. Tum quia vera est illa regula topica à nobis in com. de finib. unde hæc desumpsimus citata. *Cuius finis malus est, ipsum quoque malum est.* Tum per alia multa supra adducta. Quod quidem corollarium ampliandum esse ad eum, qui agit aliquem virtutis actum ob corporis salutem expressit Adrianus in quolib. q. 1. sed nos contra putamus. Tum quia paulo superius ostensum est vitam, & bona delectabilia iuste posse amari, & appeti propter se tantum. cui consequens est iuste fieri posse finem aliquarum bonarum operationum. Tum quia alioqui consequeretur, quod actus abstinendi à nimio cibo, & potu, qui sunt actus virtutis abstinentiæ, & sobrietatis ad conseruandam salutem, & vitam, vti etiam pharmacis, & aliis medicamentis ad recuperandam salutem amissam esset peccatum. quod est contra omnium doctorum mentem. Quare præfatum Adriani dictum arbitramur limitandum vt solum habeat locum in actibus virtutum maiorum uirtutibus aliis, quarum actus iuste ordinari non possunt ad salutem, & vitam; quales sunt amor Dei, & actus spei, & religionis, quarum finis aptus, & proportionatus, nequit esse salus, & vita hominis. Vnde qui amaret Deum, vel crederet in eum, vel speraret in eo, vel veneretur eum principaliter propter salutem, vel vitam suam conseruandam peccaret: quia de eo, quod est minus bonum faceret finem maioris boni. Ille vero, qui actum abstinentiæ, sobrietatis, temperantiæ, continentię, & aliarum similium virtutum finem faceret vitam suam, vel salutem non peccaret; immo si alia in id necessaria concurrerent, mereretur.

32 Undecimum corollarium est, quod omnium actuum quarumcunque virtutum finis principalis aptissimus est Deus ipse, qui est vltimus finis cuius omnium rerum: Beatitudo item, quia est vltimus finis quo, potest esse finis, & principium omnium actuum intellectus, & rationis, quauis nequeat esse finis principalis charitatis, & amoris Dei, qui propter seipsum solum principaliter est diligendus, vt Diuus Thomas 2. 2. q. 27. art. 3. declarat. Virtus item in genere, & recta ratio sunt fines boni, &

ni, & apti omnium virtutum, & actuum illarum: quisquis enim agit iusta, fortia, & temperata: quisquis amat Deum, vel credit in eum, vel sperat in eo; quia id facere est virtus Theologica, vel moralis, vel quia ratio naturalis vel supernaturalis id dicit bene facit. Quælibet etiam virtus est finis aptus ad eam conuenientium: quippe qui iusta facit, quia iusta sunt; qui fortia, quia fortia, quique temperata, quia temperata sunt, bene facit. Finis item aptus est quælibet virtus altior & maior respectu cuiuslibet actus inferioris virtutis: nam qui iusta fortia, vel temperata facit; vt placeat Deo, vel vt charitas, fides, & spes magis in eo augeatur, rectissime agit.

Duodecimum corollarium, quod obligationi quam omnes habemus præstituendi fines bonos, & aptos omnibus nostris actionibus deliberatis, vt longe post hæc scripta in præl. 5. Manualis Confess. diximus, satisfacimus optime quidem, si eos agamus, vt Deo placeamus; & egregie, si vt fiamus beati; & sufficienter, si eo quod sunt recti, vel honesti, seu virtuosissimi, seu quia recta ratio diuina, vel humana dicit: nam quodlibet horum, quæ in effectu idem sunt, licet verbis differant est iustus generalis finis omnium actuum quarumlibet virtutum. sufficienter item satisfacit præfate obligationi, qui aliquod iustum facit, quia iustum est; vel forte quia forte est, & modestum quia modestum est: quia quælibet virtus specialis est iustus finis actuum ad eam pertinentium. Satisfacit etiam qui ieiunat aut refrenat iram, vt animam & corpus quadantenus Deo sacrificet: quoniam virtutem altiore atque superiore religionis scilicet facit finem actuum virtutum inferiorum, videlicet abstinentiæ & mansuetudinis. Non tamen contra satisfaceret, qui oraret, vel sacrificaret principaliter, vt abstinens fieret: quia virtutem inferiorem faceret finem principalem actus virtutis superioris; quod non licet per prædicta.

33 Decimum tertium, quod finis malus; eo quod est malum culpæ, & malus; non eo quod est malum culpæ, sed quia ineptus est, eo quod sit medio minor, plurimum differunt. Primo quidem, quia ille non potest esse finis principalis, neque minus principalis actus boni; etiam si tantum veniale malum sit. hic autem licet non possit esse finis principalis; potest tamen esse minus principalis: ieiunare siquidem, & orare imo & diligere Deum, si ea etiam minus principaliter ob furtum paruum veniale tantum, vel ob inanem gloriam (quæ venialis tantum sit) agas, peccas, etiam si principaliter ob Deum ipsum ea feceris. Qui autem illa principaliter facit ob Deum, beatitudinem, vel virtutem, siue quia recta sunt non peccat, etiam si minus principaliter ob ea speret assequi aliquod bonum temporale pecuniarium, uel honorarium, ut supra probatum est. Secundo differunt, quod ille nulla relatione ad superiorem finem potest fieri aptus, hic autem sic: qui enim ieiunat ut furetur ad dandum

dandum pauperibus, peccat: quia nullum peccatum rectificatur per eius in finem bonum relationem. Qui vero ieiunat ob pecuniam quam ob id sperat; ad hoc ut eam pauperibus eroget, non peccat immo bene meretur: quoniam illa pecuniæ adquisitio in erogationem pauperibus amore Dei faciendam relata transformatur in finem charitatis, quæ finis omnium operum sanctissimus esse potest.

34 Decimum quartum corollarium est, quod quinto diuiditur finis in principalem, & minus principalem. Principalis vt gloss. 1. l. 1. ff. de negot. gest. & gloss. l. 1. §. sextum. ff. de postul. gloss. Host. Io. And. & com. in cap. post translationem. de renunc. gloss. verb. periculosus. cap. cupientis de electio. lib. 6. cum aliis, quæ recentiores citant in cap. cum cessante. de appellat. Dominic. post Ioan. Andr. in cap. quoniam. de immuni. eccles. lib. 6. Bart. in l. 2. §. fin. de donatio. dixerunt, est quo cessante cessat actus: sed incaute dixerunt. Tum quia si bona esset hæc definitio consequeretur fere omnia nostra opera esse mala; cum fere omnes, & fere semper ita operemur, etiam cum operamur propter Deum & rationem, quod si omnes causæ temporales omnino cessarent, etiam nostra opera cessarent, iuxta illud Iuuenalis paulo superius allegatum,

*Quis enim virtutem amplectitur ipsam
premia si tollas?*

Tum quia datur finis principalis, quo cessante non cessat dispositio; quando scilicet duæ vel plures sunt causæ finales alicuius dispositionis: quoniam tunc licet vna cesset, dispositio tamen non cessat, iuxta omnium sententiam. Tum quia hoc loco non disputamus de notis & signis, per quæ in foro exteriori illud aut illud præsumitur esse causa finalis; de quibus notis & signis agunt Ioann. Andr. Bartol. & alii, vbi supra; sed quæ re vera, & ante Deum sit causa finalis: & licet quidem cessatio vel duratio operis sit argumentum non paruum ad præsumendum, an causa sit finalis vel impulsiva; tamen hoc iudicium quoad forū exterius nihil agit. Tum quia hoc reprobatur S. Thom. in 2. lib. sentent. dist. 38. q. 1. ar. 1. ad 5. in hoc eodem proposito per illud Pauli; 1. Cor. 9. *Debet in spe qui arat arare.* annotans illud intelligendum esse de illo, qui spiritualiter operatur, cum spe metendi aliquod temporale, sine quo non operaretur. Bart. vero in l. ambitiosa. nu. 19. ff. de decret. ab ordin. faciend. & alii dixerunt quod finis principalis est finis in quem intellectus finaliter tendit, sed etiam incaute: quia finis & media ad consequendum illum ad voluntatem, & non ad intellectum, pertinet S. Tho. 1. 2. q. 8. ar. 2. & intentio non est actus intellectus, idem S. Thom. vbi sup. q. 1. art. 1. & q. 11. art. 1. sed voluntatis: hæc enim tria velle, intendere, & frui sunt actus potentiae appetitiuæ, siue voluntatis, & respiciunt finem; licet diuerso respectu: nam velle respicit illum quatenus est

est quoddam bonum, intentio quatenus est mediorem terminus, frui autem quatenus est ultimum, in quo quiescitur, vt dilucide tradit S. Thom. & commendat Caietanus 1. 2. q. 12. art. 1. ad 4.

Tertia igitur, eademque satis cauta finis principalis definitio est hæc finis principalis est finis, gratia cuius solius fit, vel fieret opus; etiam si alius non concurreret actu, neque virtute, vel saltim tantum, vel æque gratia eius, propter quem solum, vel tantum propter illum, ac propter alium fit opus, saltem quo ad actionem operis. Dixi, finis; ne definitio careat genere. Dixi, propter quem solum, ad significandum esse aliquos fines principales totales: qualis est virtus respectu operis, quod quis facit eo solo quod est honestum, vel quod recta ratio dicitur. Dixi, vel tantum propter illum ac propter alium, ad significandum esse aliquos fines principales partiales, & non totales: quales sunt illi duo fines ieiunii ieiunantis aliquo die quatuor temporum, & quadragesimæ ad satisfaciendum duplici præcepto, quo illud præcipitur; videlicet præcepto de ieiunando dies quatuor temporum, de quo in cap. 1. & 3. 76. dist. & præcepto de ieiunando quadragesimam, de quo in cap. quadragesimam. de consec. dist. 5. Dixi, saltem quoad actionem illius operis, ad comprehendendum finem principalem concurrentem cum alio maiore & principaliori; vt cum quis ieiunat die ad id indicto vt obediat præcepto Ecclesiæ, & placeat Deo: nam licet finis Deo placendi quoddam maius, & principalius quam obedire; quippe quod est actus charitatis, quæ, vt supra quoque traditum est, excellit omnes virtutes cap. charitas. 2. de penitent. distin. 2. tamen quo ad hoc est quatenus par obedientiæ: quia propter eam solam fieret opus. Finis minus principalis est incitatio siue impulsio ad faciendum aliquid, propter aliud; siue sine illa id fieret siue non: quales sunt timor inferni, & spes paradisi, quibus ad amandum Deum principaliter propter seipsum quis mouetur iuxta mentem S. Tho. 2. 2. q. 27. art. 3. qui ait eam reduci ad causam materiale: & quod non est simpliciter causa, sed secundum quid. Dixi, siue sine illa, ob multos fines minus principales operum, sine quibus ea non fieret; non tamen fiunt æque ob illos, ac fiunt ob alium. exemplum de illo qui venit Romam ob grande aliquod negotium proprium, & non venisset nisi aliquis aliud minus cum aliquo salario ei commisisset; huiusmodi enim aduentus finis minus principalis est negotium alienum, licet sit causa sine qua non venisset.

35 Decimum quintum corollarium est, quod licet nullius actus virtutis finis principalis possit esse bonum temporale; imo quilibet actus virtutis quamlibet in se bonus efficiatur malus si fiat principaliter ob aliquod bonum temporale: non tamen si fiat minus principaliter ob illud. Primo quidem per illud psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes in æternum propter retributionem.* Tum propter alia

multa quæ supra ad hoc induximus

36 Decimum sextum corollarium, hinc inferri quasdam quotidianas decisiones dubiorum, super quibus olim interrogati fuimus, quasque post hæc scripta tradimus in comment. cap. cum minister. 23. q. 5. nu. 71. Prima est bene mereri eum, si aliud non desit, qui largitur maiorem eleemosynam publicam, quam fuisset largiturus secretam; modo minus principaliter illam maiorem laudē de maiore eleemosyna requirat, eamque actu vel virtute in alium finem debitum referat.

Secunda non esse peccatum imo meritum, si adsint cetera, largiri maiorem eleemosynam pauperi absenti, pro quo petit aliquis amicus, vel vir egregius, quam dedisset si pauper ipse, vel alius homo gregarius eam petiisset; modo principaliter non respiciatur persona.

Tertia, non peccare illos, qui aliqua de magna causa procurant, aut consulunt, ut petatur, ad aliquod opus pium publice per egregiam quampiam personam Dei amore; ut maior eleemosyna fiat, quam si secreto vel per alias personas gregarias fieret, seruatis tamen modis prædictis. Dixi, aliqua de magna causa: quia sine tali, ut id fieret, non consulere-mus: quoniam cum bona pars hominum sit vel pauper, vel insue-ta humilitatis actibus, vel plus satis gloriæ humanæ auida, facile cre-di potest bonam partem eorum, à quibus petitur tantum aut magis largituram illud plus, quod largitura est publice, quam secrete ob glo-riam humanam, vel pudorem, & ignominiam timorem, ex necessitate quadam, & tristitia, quam hilari mente in hoc ab Apostolo requisita. Propter quod & alia quædam olim, cum primam missam cantavi non permisi, ut ullus ad eam inuitaretur, nec ut mihi quidquam offerretur contra meæ morem gentis, & contra expectationem cognatorum, & amicorum parentum. quod ipsum aliqui postea meo exemplo, & hor-tatu fecerunt.

Quarta, iuste peti aut dari posse plus eleemosynæ, cum in aliquod pium opus publice petitur ex altari, vel suggestu publicante parochi, vel alio quis & quantum largiatur, aut promittat, ut pro eo circumse-dentes Deum orent, quam decisionē limitandā arbitror, ut præcedentē.

Quinta, posse quæ absque peccato plus offerre missam primam dicenti, vel nuptias, aut baptismum celebranti, eo quod ad id inuitatus fuerit, vel populo spectante offerat, quam offerret si nemine vidente aut non in-uitatus id faceret, eadem ratione seruatis prædictis modis.

37 Decimum septimum corollarium est, quod licet interdum princi-palis finis boni operis sit ultimus omnium bonorum operum: non ta-men omnis finis principalis boni operis, ut supra satis abunde expli-cauimus, est ultimus omnium bonorum operum. Tum quia vnus so-lus scilicet, æternus Deus est finis omnium bonorum operum ut ait S. Thom. 1. 2. q. 3. art. 1. sicut, & principum ob quod appellatur A &

Ω Apo-

Ω Apocalip. cap. 1. id est principium & finis omnium; nam licet dica-tur beatitudo sancta, & summum gaudium, omniumque bonorum operum quidam ultimus finis; iuxta Magist. sentent. dist. 38. non dici-tur tamen talis, eo quod absolute sit ultimus finis; sed quia est ultimus actus, & proximum glutinum, quo bonum opus, & eius auctor vl-timo fini omnium, qui est Deus cōglutinantur, S. Thom. in d. dist. 38. art. 1. & clarius lib. 4. dist. 39. q. 1. art. 2. q. 1. Tum quia multorum bo-norum operum finis principalis est aliud à Deo, beatitudine, & sancta voluptate, quæ sub ea, ut modo diximus, continetur. Tum quia ut ali-quis actus sit ex circumstantia finis bonus, sufficit ut eius finis princi-palis actualis, vel virtualis sit virtus aliqua particularis, vel finis pro-ximus eius, iuxta S. Thom. in 2. dist. 38. art. 1. nempe ut fiat propter iu-stitiam, vel temperantiam, &c. vel quia est iustum, aut temperatum, &c. quæ sunt singulares virtutes, aut fines proximi singularum virtutum, sufficit etiam, quod finis eius sit virtus generalis, vel proximus finis eius; quippe sufficit quod fiat, quia est recte viuendum, quod est ge-neralis finis omnium virtutum moralium.

38 Decimum octauum corollarium est, nullum opus quod non refer-tur actu siue actualiter, aut virtute siue virtualiter in ultimum finem; vel in aliquam virtutem, aut eius finem esse meritorium neque bonum; immo peccatum, si fiat deliberate cum iudicio sufficienti ad peccandū, tum per supradicta. Tum quia est sententia B. Augustini, quam Magi-ster sententiarum in 3. dist. 38. & eius commentatores presertim re-centiores amplexi sunt. Tum quia nihil tēporale, ut supra dictum est, potest esse finis principalis etiam partialis boni actus. Tum quia face-re contrarium est subiicere maius, & melius minori, & minus bono, & facere illud, quod est maius & melius medium ad consequendum id quod est minus, & minus bonum, quod est præposterum inordina-tum, & peccatum, ut supra nu. 15. probatur. Tum propter illud S. Au-gustini à Magistro relatum lib. 2. distinct. 38. *Non est euangelizandum, ut manducemus.*

39 Decimum nonum corollarium est, quod proxime dictum limitan-dum est procedere in fine operantis; quia non est necesse ut talis finis sit proximus, & primus secundum ordinem executionis; sed sufficit ut sit talis secundum ordinem intentionis: exemplum iter facit quis, mercatur, militat, iudicat, literas discit, &c. in finē, ut honeste, iusteque viuat, & sic probe facit, tametsi proximus finis secundum ordinem exe-cutionis, qui est lucreum, non sit finis ultimus: neq. alius alicuius virtu-tis: quoniam licet sit proximus secundum ordinem executionis, non tamen est principalis secundum ordinem intentionis. Tum quia non facit hæc tam ut lucretur, quam ut recte, & honeste viuat. Tum quia finis qui est prior secundum ordinem intentionis est principalior eo,

L 2

qui

qui est prior secundum ordinem executionis, ut supra ostensum fuit: attamen si quis prædicta faceret principaliter propter lucrum, non referendo illud actu, uel uirtute in finem bene recteque uiuendi, uel Deo seruiendi; peccaret. Dixi autem, uirtute siue virtualiter: quia non est necesse quando lucrari intendit, ut referat lucrum in hos fines. Videbitur autem satis id facere si roganti eam causam quare uult illud, posset uere respondere se illud uelle, ad bene, beateque uiuendum, siue ad recte iusteque uiuendum, uel ad Deo seruiendum, ut supra probatum fuit. Et facit illud Magistri in d. distin. 38. paulo supra relatam, quod quauis sit peccatum prædicare ob lucrū; prædicare tamen ut eo sustentatus plus prædicet, iustiusque, ac honestius uitat, non est peccatum, imo meritum.

40 Vigefimum corollarium, operæ pretium esse nosse, quæ intentio, uel relatio actuum nostrorum in aliquem finem dicatur virtualis; quandoquidem, per prædicta, illa sufficit ad constituendam bonitatem, uel malitiam actus relati. Et prætermittitur operosa doctorum disputatione super hæc habita in 2. libro sententiarum distin. 40. & attentis ibi col. 3. magnis argumentis Ioan. Maior. contra communem, in quam etiam inclinatur S. Thom. ibidem art. 5. & Caiet. 2. 2. q. 21. art. 3. & q. 100. art. 10. & aptius ad propositum q. 8. art. 3. & q. 18. art. 8. & 9. in additio. magna de finiri potest, relationem virtuale illam esse, quæ tacite resultat, eo quod includitur in alia generali actuali antea facta; uel eo quod aliam actualē, speciale consequitur, uel eo quod inest actui aptitudo ad relationem tale, concurrente gratia habituali, quæ ad eam inclinatur. Exemplum primæ partis est relatio illa tacita, quæ resultat ex eo solo, quod quis facit bona opera postquam generaliter aliquando dicauit, & retulit omnia bona suæ uitæ opera amoris, uel obsequio Dei; aut cum professus fuit Christianismum, monachismum, uel alium uiuendi statum accepit, aut aliam quandocunque; & postea mentem contrariam non habuit. Exemplum secundæ partis est relatio miliarium siue leucarum, & passuum itineris quod sine ulla Dei actuali memoria facit is, qui uisit S. Iacobum in Compostella, quæ resultat ex eo, quod ipse illam uisitationem nouit. Exemplum tertie partis est relatio bonorum operum eius, qui sine ulla Dei actuali memoria facit in statu gratiæ gratum facientis, & charitatis resultans ex eo, quod sint apta, ut in ultimum finem referantur; & fiunt ab eo qui habet illum præcellentem habitum charitatis & gratiam, quæ ad huiusmodi relationem inclinatur, ut S. Thom. Maior, & Caietanus ubi supra probant. Breuius etiam definiri potest secundum S. Bonauenturam, quem sequitur Gabriellus in 2. lib. sententiarum distin. 41. col. 8. quod virtualis relatio unius in aliud est illa, de qua interrogatus operans, an tacite illam sentiat, uerè, ac affirmatiuè respondere potest ita sentire.

41 Vigefimum primum corollarium est, quod licet sit peccatum ieiunare, corpus affligere, missare, & alia huiusmodi sancta opera facere; eo fine

eo fine principaliter, ut Deus nobis concedat longam uitam, salutem, vires, honores & alia temporalia, non referendo illa neque actu, neque uirtute in alium altiore finem, sed sistendo gradum in eis tanquam in termino, & fine principali: non est tamen peccatum, si ea bona temporalia actualiter, uel virtualiter referantur in ultimum finem, qui est Deus Opt. Max. uel in alium uniuersalem omnium uirtutum, uel aliquam particularem alicuius uirtutis ad id aptum; nempe ad seruiendum melius Deo, uel ad sanctius, & temperantius uiuendum: hac enim actuali uel virtuali eorum relatione efficitur, ut ea bona temporalia, quæ sine illa essent finis principalis præfatorum operum, sint finis minus principalis eorum, iuxta ea quæ diximus in 10. corolla.

42 Vigefimum secundum, quod possunt esse bona uel mala ieiunia puellarum & uirginum, quæ ieiunant in aliquibus regionibus omnibus diebus sabbathi septem annorum peregrinationes, item preces, & alia pia quæ faciunt, ut Virgo mater Maria, uel alius sanctus aut sancta ad consequendum aptos maritos adiuuet. Ieiunia item, & alia pia & sancta opera militum; ut recitatio illa uenatorum euangelij S. Ioannis, ne Aquila eorum Falcones, & accipitres rapiat, ne occidat. Orare item, diuina officia recitare, uouere, aut per se uel alium dicere missam S. Antonij pro re perdita inuenienda. Missa item, preces, supplicationes, siue processiones, elemosynæ, ieiunia, peregrinationes, & disciplinæ, quæ fiunt pro uita, salute, peste fuganda, prospero uiatorum itinere, discordium concordia, pro pluuia siccitatis tempore, aut pro serenitate tempore nimis pluuioso. Item ut Deus naues ad portum saluas reducat, & Regibus nostris pacem tribuat, & filios coniugibus eis carentibus concedat. Denique omnia opera, quæ uel afflictionis uitæ causæ, uel prosperitatis temporalis consequendæ gratia dicimus, facimus, patimur; uel curamus, ut alius dicat, faciat, aut patiat: si enim ad hæc, ueluti principalem finem pia illa opera ordinantur, sunt peccata, sin uero hæc in finem minus principalem proponuntur, præstituendo eis alium

43 finem aptum ad quod referatur, minime. Quare qui faciunt præfata, uel alia opera suo genere bona, ad assequendum prædicta, & alia bona honoraria, uel pecuniaria, debent ea facere principaliter eo quod sint grata Deo, pluris estimantes eius gratiam, & pietatem, qua erga eum esse debent, quam bona præfata appetita & desiderata, uel referendo illa in illum finem aptum, reputantes secum, quod tanto melius facient & magis Deo placebunt, quo in finem principalem meliorem, & magis Deo placentem ea referent. quoniam & melius facerent si adderent intentionem uiuendi rectius, cum illis, quam sine illis, & optime, si intenderent seruire melius Deo cum illis, quam sine illis, ut S. Thomas testatur 1. 2. q. 18. art. 4. & 7. idem cum communi 2. lib. sententiarum distin. 38. cæteris paribus quanto præstantior & excellentior est finis operis, tanto excellentior.

cellentius & præstantius est opus: sicut è contrario tantò peius & Deo exosius est opus, quantò peior & exosior est finis, in quem collimatur.

Vigesimum tertium corollarium, quòd doctores qui omnia præfata opera rident & damnant, & qui omnia defendunt & laudant, partim recte, & partim male faciunt: quãdoquidem neque omnia sunt bona neque omnia mala; cum ea quæ in bonum finem & aptum collimantur, sint bona, & quæ in malum vel ineptum mala.

44 Vigésimum quartum, quòd qui orant, ieiunant, eleemosynam dant, literis student, militant, honeste & iuste viuunt, vel alia suo genere bona faciunt ob præfata quinque bona honoraria, aut aliquod illorum laudem nempe, honorem, famam, gloriam, & reuerentiam nullatenus referendo illa in vltimum finem, vel alium alicuius virtutis aptum, peccat; non tamen si referunt illa actu vel virtute in vltimum finem, vel alium aptum in quem iuste possunt appeti, de quibus mox dicetur. quod intelligimus de ipsismet quinque, & de appetitu recto eorundem; non autem de appetitu eorundem inordinato: quia ille cum sit peccatum in nullum finem bonum recte referri potest. Tum quia nullum peccatum quatenus est tale est bene referibile in Deum, vel alium bonum finem, vt diximus in Manuali Confess. cap. 20. num. 3. sequuti Caietanum 1. 2. q. 8. art. 3. & q. 100. art. 10. Tum quia vnũ & idẽ numero opus asserente Thoma in 2. lib. senten. dist. 40. nõ potest esse bonum & malum cap. cum renunciatur. 32. q. 1. cap. si enim. de peniten. dist. 2. nam & qui eleemosynam inopi propter Deum, & vanam gloriam simul largitur nõ recte facit, immo peccat, idem S. Thom. 2. senten. dist. 38. q. 1. art. 4. ad 4. & Iacob. Almai. de moral. cap. 12. col. 3. nisi quãdo distincte vno actu voluntatis inopi vult opitulari, eoquòd est bonum; & altero actu voluntatis vult hominum gloriam vane aucupari: tunc enim duo actus voluntatis essent distincti: alter bonus & alter malus, cuius malitia venialis alteri, vt testatur S. Thomas vbi supra art. 4. ad 4. multum damnum affert.


S V M M A R I V M.

- 45 Bona honorabilia in quinq. fines bene appetibilia.
 45 Amare se magis, quã proximum quisque tenetur.
 45 Finis vnus relatus ad alium fit minus principalis illo.
 46 Actus vt sit bonus sufficit vnus bonus finis.
 46 Iustitia quodam respectu moralium virtutum maxima.
 46 Laus & alia quatuor bona honorabilia maiora meritis vt quis capit iuste.
 47 Papa, Reges, & alij cur recte suscipiant oscula pedum, manuum, & alios honores; eo solo fine, quòd eis debentur.

BONUM

- 48 Bonum honorabile solum est vtile, & ob aliud appetibile: & ita potest peti & quari vt bonum pecuniarium.
 49 Bona propria licet cognoscere eo modo, quo cognosci possunt.
 49 Bonum, quod nequit sciri natura, non est per eam quærendum.
 49 Gratia scientia non est naturaliter querenda.
 50 Laudem sui operis in finem aptum licet querere.
 51 Boni honorabilis appetitus per se nec bonus, nec malus: est enim bonus tribus concurrentibus. alias vanus.
 53 Appetitus cuiusque honorabilis vani semper peccatum, sed solis tribus casibus mortiferum.
 54 Finem vltimum non ponit quis in eo, quo scienter mortaliter peccat.
 55 Laudis appetitus de re falsa, vel quæ non est, non semper mortifer contra Abulensem.
 55 Iniustitia non omnis mortifera.
 56 Honorẽ in propriũ facere illa, quæ sunt dicata in diuinum principaliter non est mortiferum; licet sit graue veniale.
 56 Contemnere quid propriè, & quid large.
 57 Bona vt iubet Christus fieri, vt videantur, & non videantur.
 57 Bona tantum esse facienda in gloriam Dei vt intelligendum.
 58 Magnanimus quam laudem, & honorem contemnit.
 59 Laudem & honorem colendo maiores vt magis errant.
 59 Hispani magis alta, & Galli magis humilia filios docent.

45



IGESIMVM QVINTVM corollarium, quòd hæc præfata quinque bona honoraria possunt in multos fines recte appeti. primo ad Dei gloriam. secundo vt ait S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. in cor. ad proximi spiritualem vtilitatem. Tertio ad nostrum spirituale bonum, quo incitemur & animemur ad perseuerandum in bonis operibus inceptis; & ad perficiendum & faciendum alia illis similia; ad quod quidam citat eundem S. Doctorem 2. 2. q. 91. art. 1. quatenus adducit illud Isaia cap. 48. *Laude mea infrenabo eum.* sed parum apte: quia illud intelligitur de laude, qua Deũ laudamus; & non de laude, qua nos homines laudant. Vera tamen est conclusio: quia non solum tanta, sed etiam maior ratio persuadet, vt meæ laudis amor rectificetur sine proficiendi alteri temporaliter, iuxta S. Augustini cap. si non licet. 27. quæst. 5. & l. præses. C. de seru. & aqu. S. Thomæ 2. 2. q. 26. art. 4. & omnium sententiam magis debemus diligere nosmetipsos quã alios, & per illud Leuit. 9. & Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* significatur amorem proprium esse exemplar amoris proximi; & ita esse magis debitum & propriorem, quã sit amor proximi. quam conclusionem clarius & falsius confirma-

uit Abu-

uit Abulensis super Matth. cap. 6. col. 7. & 8. & breuius eam tradidit S. Antoninus in 2. par. tit. 4. cap. 1. §. 1. & §. 3. col. 6. Quarto ob bonū aliquod temporale honestum proprium, vel aliorum: quia nemo damnat eos, qui appetunt laudari ob suum genus clarum, habitudinem, conditionem, & alias bonas, quas vere habent, animi & corporis dotes, vt facilius conuenientes nuptias inueniant. Neque illos qui cupiunt vt de sua in administrando prudentia, voce sonora, suauis cantu, expedito in scribendo modo, sana doctrina, & in prælegendo vel patrocinando dexteritate illi vel illi sint contenti: & vt eos tantum & non plus quam merentur laudent. Neque illos, qui optant laudari ob illa bona, quæ Deus Opt. Max. illis est impertitus, ut ob id filiis suis, uel cognatis, aut famulis, uel alii aliquod bonum temporale donetur. Neque obstat quòd, ut supra dictum est, nullum bonum temporale potest esse finis boni operis principalis, saltē extrinsecus quem uocamus operantis: & quòd peccatum est, ut ex S. Thoma in 2. lib. sentent. dist. 38. q. 1. art. 1. sub fin. & art. 2. in 3. argum. probatur, id quod est maius & melius ordinare ad consequendum id, quod est minus & minus bonū; non inquam hoc obstat: quoniam hic quartus modus recte appetendi intelligendus est de appetitu præfatorum, ordinando ea & referendo actu uel uirtute in Deum, uel ad uitam bene recteque agendam; per quā ordinationem & relationem desinunt esse principalis finis eorum; & Deus uel uita bona fiunt talis, per ea quæ supra adduximus in 14. corollario: ita quòd expetere laudem etiam veram in bonum tēporale proprium uel alienum, sistendo gradum in eo est peccatum; & referendo illam in Deum uel uitam bene recteque agendam, aut alium bonum, & aptum uirtutis finem est bonum.

46 Quintus finis recte expetendi & recipiendi hæc quinq. uel aliquod illorum est, quòd sit debitum, & expectatur & recipiatur, quia debitū, ut fuse probat Caietanus 2. 2. q. 131. ar. 1. pro quo faciunt primo tria illa argumenta supra pro conclusione principali adducta. Secundo, quia sicut uni pecunia, ita alteri honor debetur, iuxta illud Apostoli ad Roman. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui amorem amorem, & cui honorem honorem.* Et expetere & recipere debitam pecuniam, eo quòd debita est absq. relatione in ultimum finem, non est malum neq. peccatum. Ergo neque expetere & recipere delatum honorem, etiam sine relatione in ultimum finem erit peccatum; cum eadem ratio in utroque casu militet, cap. 1. de translat. prælat. & l. illud. ff. ad l. Aquil. Tertio, quòd ad hoc, vt usus alicuius rei sit bonus & rectus, non est opus vt dirigatur in omnes fines bonos, in quos dirigi honeste potest; sufficit enim quòd dirigatur in vnum illorum. verbi gratia, pecunia possumus uti ad multos fines ad soluendum debita, ad infumendum necessaria, ad deponendum eam, & ad ostentandum diuitias, l. 3.

§. fin.

§. fin. & l. 4. ff. commoda. attamen, vt usus pecuniæ sit honestus, non est necesse in omnes hos fines referri, sed satis est vt in vnum eorum referatur: ita ergo, cum vnumquodque horum quinque bonorum sit utile vt ante Caietanus S. Thomas 2. 2. q. 132. art. 1. ad 3. & Antoninus 2. p. tit. 4. cap. 1. §. 4. col. 6. tradiderunt: & vt valeat referri in multos bonos & aptos fines sufficit, vt ad vnum eorum referatur: & consequenter vt tanquam debitum expectatur & recipiatur. Quarto, quòd qui appetit, vt aliquid sibi debitum solvatur, appetit illud ob iustitiam, quæ est uirtus: & ita finis est aptus in quem dirigatur receptio debiti: uirtus inquam est iustitia, & non qualis qualis; sed vt S. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 12. & Arist. lib. 5. Ethico. inquit omnium moralium aliqua ratione princeps.

Sextus finis est, cum aliquod horum quinque expetitur & recipitur non tanquam debitum, sed tanquam donum gratis datum, & causa humilitatis, charitatis, & gratitudinis. exempli gratia, alius me præstantior mihi se humiliat, vel me præire aut præsidere facit, vel dicit aut scribit ad me uerba, quæ alius me minor non teneretur facere; admitto libenter delatum mihi honorem non tanquam debitum, neque ob aliquem prædictorum finem; sed tanquam beneficium gratuitum, & signum beneuolentiæ, & humanitatis absque alterius præiudicio mihi delatum, non pecco: quinimmo mereor, sicut non peccarem sed mererer accipiendo amicè, hilareque aliquod beneficium, vel donum quod sine alterius præiudicio mihi donaretur vel deferretur S. Thomas post Senecam 2. 2. q. 106. art. 1.

47 Vigésimum sextum corollarium est, errare illos qui putant peccare Summos Pontifices gaudendo osculo pedum, & Reges osculo manuum, & alios earum petitione ad eas osculandum, aut genuflectione, vel capitis apertione, non referentes ea neque actu neque uirtute in alium finem bonum vel malum, sed tanquam debita eis lege, vel more, aut urbanitate, in signum honoris & reuerentiæ; non enim solum male, immo & recte faciunt; & si sunt in statu gratiæ merentur illius augmentum: quia suscipiunt præfatos honores & reuerentiam eo fine, quòd sunt sibi debita de iustitia, pietate, beneuolentia, vel benignitate. Errant uero qui arbitrantur peccare gymnasiarchas, cancellarios, doctores, licentiatos, baccalareos, & scholasticos petentes, vt eis concedatur præsidere, præloqui, lauream dare, vel vt illo vel illo loco aut gradu donentur, & alia quæ honoris sunt dicere, vel facere nullo alio fine, quam quòd sunt eis debita lege, statuto, vel consuetudine. Errant item qui credunt male facere Dominicanos volentes Franciscanis præire illa sola de causa, quòd sit iuri consonum cap. quorundam. iuncta gloss. de elect. lib. 6. neque obstat dicere quòd religiosi renuntiant omnibus externis bonis, & consequenter omnibus honoribus, & præminentis quæ, vt supra dictum

M

fuit,

fuit, bona externa sunt: nam vt ait S. Thomas 2. 2. q. 106. art. 7. ad 4. & in lib. contra impug. relig. cap. 2. non renunciant honori, qui eis ob virtutem debetur; sed tantum illi, qui ad exteriorem ostentationem & apparatus eis defertur, vt post eum aperuit Caietanus, & nos infr. tangimus.

48 Vigefimumseptimum corollarium, verum esse illud Card. Caietan. in summa verb. gloria. tam licitum esse expetere ac quærere humanam gloriam, & consequenter hæc quinque bona honoraria, quàm expetere & quærere alia bona pecuniaria. Tum quia etiam hæc quinque sunt bona vilia, & non parua. Tum quia neque alia bona pecuniaria debent, neque possunt iuste propter se ipsa principaliter expeti, aut adquiri; sed propter alia tanquam vilia, & quæ possunt esse media in aliquem bonum & aptum finem; cuiusmodi sunt etiam hæc quinque, vt inquit S. Thomas 2. 2. q. 108. art. 1. & S. Antoninus 2. par. tit. 1. cap. 1. ab omnibus recepti; possunt enim prodesse ad illos sex fines supra relatos, ob quos debent & possunt recte expeti. Tum quia, sicut non expetere alia tēporalia bona, quando, quō & quare ratio dicitur testantibus eisdem S. Thoma 2. 2. q. 132. art. 1. & Antonino 2. part. tit. 4. cap. 1. §. 3. col. 6. est peccatum; ita non expetere hæc quinque quando, quomodo, & quare ratio dicitur est peccatum, vt idem S. Thomas 2. 2. q. 117. art. 1. ad 1. & S. Anton. 4. par. tit. 5. cap. 17. in princip. aiunt. Tum quia sicut nullum opus factum principaliter ob gloriam tēporariam potest vocari bonum, ita nec factum ob alia bona tēporaria, vt supra ostensum fuit corollario 4.

49 Vigefimumoctauum, non esse peccatum velle quem agnoscere sua bona, quatenus, & eo modo quo possunt agnosci, neque vt ait S. Thomas 2. 2. q. 132. art. 1. iam agnita approbare, iuxta illud B. Pauli 1. ad Corinth. 2. *Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* & illud omnium gloriosissimæ ac humillimæ virginis matris. *Fecit mihi magna qui potens est,* Lucæ 2. cap. Dixi, quatenus, & eo modo quō agnosci possunt: quia multa sunt quæ certo sciri nequeunt naturaliter; & ideo non licet illa velle naturali via scire; quale est donum gratiæ gratum facientis: nam illud non potest certo sciri, nisi per diuinam reuelationem, vt supra dictum fuit conclus. 3. num. 2. & longe post hæc scripta per S. Concil. Trident. sess. 6. can. 6. in fidei catholicæ articulum redactum est: quamuis liceat per coniecturas probabiles conijcere illud haberi; & consequenter qui expetunt via naturali hoc certo scire peccant quarto modo curiositatis, quem de illa loquens ponit S. Thomas 2. 2. q. 163. art. 1. nempe velle scire naturaliter id quod intellectus naturaliter non potest assequi, contra illud Sapientis Eccles. 3. *Altiora te ne quaesieris.* id est, quæ intellectus tuus naturaliter non valet attingere, ne velis via naturali ea quærere: quamuis liceat per coniecturas probabiles conijcere illud habere.

vige-

50 Vigefimumnonum, non esse de se malum neque peccatum appetere & gaudere, vt nostra bona opera ab hominibus laudentur, vt asserit præcitatus S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. cui consonat illud Persij latyia 1.

*Non ego cum scribo, si forte quid aptius exit,
Laudari metuum; neque enim mihi cornea fibra est.*

Dixi de se malū: quia talis appetitus est bonus, si actu vel virtute laus illa expetita vel grata referatur in aliquem bonum, & aptum finem; licet ellet inordinatus, & malus, si principaliter propter se appeteretur.

51 Trigefimum, appetitum horum quinque, scilicet reuerentiæ, laudis, honoris, famæ, & gloriæ; nisi aliud addas, immo etiā si addas humana, non esse de se bonum neque malum, vt supra in hac ipsa conclus. circa princ. ostensum fuit, & est propositio S. Thomæ in multis locis præsertim vero in quolibeto 10. art. 1. ad 3. & si addas diuina est bonus; sanctū enim & bonum de se est expetere laudari, honorari, & glorificari à Deo & ab eius aulicis, iuxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 10. *Qui gloriatur in Domino gloriatur.* & glossam S. Bernardi supra conclusio. 1. num. 3. relatā. & illud psal. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* quæ per pulchre quidam recentiorum ibi dilatat. Similiter bonum esse, & honestum appetitum laudis, & aliorum præfatorum quatuor concurrentibus tribus. Primum vt non appetantur maiora, quàm bona opera merentur. Secundū vt appetantur tanquam testimonium humanum, incertum, & infirmū; & tanquam res vti sunt parue, & caduce; & non tanquam testimonium diuinum quod est certum & firmum. Tertium vt expetantur in aliquem bonum & aptum finem.

52 Trigefimumprimum corollarium, appetitum horum quinque laudis, honoris, gloriæ, & reuerentiæ vanæ esse malum & peccatum, saltem veniale, vt supra num. 7. huius conclus. tactum est: vnumquodque enim illorum cum illa additione vana notat rem honeste rationi repugnantem, quæ dicitur, vt vbi supra quoque tradidimus, ne quid vanum appetamus: dicitur autem vnumquodque horum esse vanum tribus modis secundum S. Thomam 2. 2. q. 131. art. 1. & q. 132. art. 1. & de malo q. 9. quem sequuntur Abulen. super Matth. cap. 6. q. 3. S. Antoninus 2. par. tit. 3. c. 5. §. 1. & Caietanus in d. duob. art. 2. 2. primo ex parte materiæ, de qua hæc quinque appetuntur; scilicet cum appetuntur de excellentia, quæ non est vel non tanta, quæ mereatur tantum laudis quantum appetitur. Secundo ex parte appetentis: quia appetit ea tanquam maius & certius testimoniū, quàm sint. Tertio ex parte rei appetitæ finis: quia non refertur in aliquem bonum & aptum finem.

53 Trigefimumsecundum, est, appetitum horum quinque scilicet reuerentiæ, laudis, honoris, famæ, & gloriæ vanæ semper ad minus esse peccatum veniale; & vt plurimum non esse mortale, præterquam in quinque casibus. Primus, de re mortifera, vt decidit Caietanus 2. 2. q. 131.

M 2

ar. 2.

art. 2. addi. 1. & ante eum paulo latius S. Antoninus 2. par. tit. 4. cap. 1. §. 3. & post eum breuius Angelus & Silvester; licet id S. Thomas. non plane expresserit, qui quidem omnes nituntur illo Psalmi 51. *Quid gloriaris in malitia.* Neque obstat, quod illud tantum videatur probare, quod gloriari in malitia sit malum; sed non mortiferum: quia satis probat, quod qualis est malitia talis est gloriæ appetitus, quæ appetitur de illa; venialis nempe, si illa est venialis, & mortifer si illa est mortifera: apertius tamen probatur illo singulari Innocen. iij. elogio cap. *quàm sit graue crimen in clericis cum male fecerint gloriari nullus sane mentis ignorat.* de excess. prælator. Secundus casus, in quo illorum appetitus & complacentia sunt capitale peccatum, est cum appetuntur cum diuina irreuerentia notabili, vt Cyrus Tyri princeps appetiuit taliter venerari & haberi pro Deo, iuxta illud Ezechielis 28. *Eleuatum est cor eius, & dixit, Deus ego sum.* Tertius, cum pluris sit illud de quo petitur aliquid horum quinque quàm ipsemet Deus. Quartus, cum aliquod horum præponitur Deo, secundum illud Ioan. 12. *Dilexerunt magis gloriam hominum quàm gloriã Dei.* Quintus, quando in vltimum finem proponitur gloria. quibus omnibus ad do per paucos orthodoxos esse tam stultos & corruptos, qui expresse in iis tribus posterioribus casibus offendant: nam quis quelo est qui dicat se pluris facere honorem suum, quàm Deum, & testimonium humanum quàm diuinum? quis honorem suum ita in vltimum finem suorum operum constituit, vt præter eum aliam beatitudinem non speret? Veruntamen multi (proh dolor) interpretatiue & tacite videntur in hoc peccare: nam illi videntur interpretatiue, & tacite laudem & gloriam Deo, & testimonium humanum diuino præponere, qui ad eam acquirendam vel conseruandam non verentur admittere aliquid, quod sit mortiferum peccatum, S. Thom. de malo quæstion. 8. artic. 2. & quæst. 12. art. 2. & 2. 2. q. 132. art. 3. quod pulchrius omnibus expressit Ioan. Tabien. & S. Anton. 2. par. tit. 4. cap. 1. §. 3. exēpli gratia; pposui potius falso iurare; adulterium committere, ad vsuram dare, iniustam sententiam definitiuam vel interlocutoriam pronunciare, iniustam appellationem concedere, iustam denegare, quàm officium meum vel dignitatem ecclesiasticam aut profanam perdere, quàm honorem meum in aliquo diminui videri, videri inquam possum potius honorem meum quàm Deum diligere, & in eo vltimum finem ponere. Omitto item in Concilio sententiam, quæ mihi videtur iustior, dicere; ne alii male de me dicant; ne ve mihi infamiam inurant: videri etiam possum pluris facere testimonium humanum quàm diuinum. quod exemplum posuit S. Antoninus vbi supra.

54 Aduertendum tamen primo, quod dixi & repetii videntur, videor, & videri possum, ad significandum, quod licet omnes qui scienter peccant

cant mortifere propter honorem, vel aliud horum quinque acquirendum vel conseruandum quadantenus præsumi possint diligere plus illud, quàm Deum, & in eo ponere vltimum finem, iuxta illud Apostoli ad Philipen. 3. *Quorum Deus venter est.* non tamen omnes vere id faciunt: imo arbitror paucos christianos id facere; alioqui omnes bis mortifere peccarent, aut semel cum circumstantia necessaria confitenda; alii quidem cum scienter frangunt legem sub pœna mortiferi peccati obligantem: quia poneret vltimum finem in eo, propter quod eam frangerent vel diligerent plus illud quàm Deum, quæ sunt diuersa peccata mortifera, aut certe vnum circumstatum circumstantiæ necessario confitenda, ut longe post hæc scripta expressius admonuimus in comment. cap. cum minister. 23. q. 5. nu. 21.

Aduertendum secundo prædictos quinque modos, quibus appetitus horum quinque est mortifer, posse reduci ad tres. Primus est cum aliquod horum appetitur de peccato mortifero. Secundus cum appetitur infringendo legem ad mortiferum obligantem. Tertius cum in illo ponitur vltimus finis; qui enim præfatos quinque modos satis expenderit comperiet eos omnes sub iis tribus includi. quod satis videntur sensisse Caiet. & Tabren. in sui summis, verb. gloria.

55 Trigesimum tertium corollarium, quod non videtur vera illa magni Abulensis conclusio appetitum gloriæ humanæ semper esse peccatum mortale, cum appetitur de re falsa, & excellentia, quæ non est. D. namq. Thomas supra relatus, cuius autoritate ille nititur, non ait absolute appetitum gloriæ humanæ esse peccatum mortiferum, cum appetitur de re falsa Diuinæ reuerentiæ contraria, ut supra ostensum fuit. Quamobrem, ut supra etiam diximus, debet limitari eius dictum, ut procedat in appetitu de rebus falsis, uel appetitis cum notabili diuini cultus vel proximi præiudicio. Neque obstat illius argumentum, scilicet quod sic appetens videtur esse non solum vanus, cum appetat fructum eius rei quæ non est; verum etiam iniustus, cum appetat quod non est suum; & pluris quàm par est auidus est, vel plus sibi sumit quàm par est. Tū quia, licet regulariter omnis actus iniustus sit mortifer, S. Thom. 2. 2. q. 59. art. 4. definit esse talis propter rei paruitatem, vt furtum pomi, extrigmētī, acus, & similia; aut ob insufficientes deliberationes, qualis est subitus appetitus alienæ rei notabilis, quæ matura deliberatio statim reprimit: sicut vtrumq. Tho. in d. art. 4. & 1. 2. q. 72. art. 5. & q. 74. ar. 8. & S. Tho. in 2. lib. sent. dist. 41. q. 1. ar. 4. & ideo licet oīs appetitus gloriæ rei quæ non est, uel est falsa esset iniustus, tū nō hinc sequitur omnem talem appetitum esse mortiferum. Tum quia appetere recipereque pecunias, quæ nobis non debentur, sine alterius præiudicio non est peccatum mortale secundum omnes; neque appetere recipereque aliqua bona ob falsam aliquam causam sine alieno præiudicio. Exem-

pli causa, Pater tuus mihi debebat centum aureos, eoquod emit equum a me, & centum quos mihi in donationem propter nuptias promisit, & hos soluit & non illos, amisque ego chirographum, in quo promisit illos, & habeo chirographum in quo promisit illos solutos, possum absque mortifero peccato recipere saltem illos centum, quos debes uti patris tui haeres pro æquo empto, eoquod in hoc nullum præiudicium iniustum tibi, neque alteri fit arg. gl. singul. cap. ius gentium. 1. dist. & l. nulli. C. de iudic. & illius dicti celebr. Innocen. in cap. olim. de rest. spol. & eorum quæ pulchre tangit Caietan. 2. 2. q. 59. art. 4. & consequenter appetitus honoris & gloriæ ob falsam causam, sine alterius præiudicio spiritali vel temporalis, publico aut priuato non erit mortifer.

56 Trigesimum quartum corollarium, quod prædicare, missare, & alia huiusmodi principaliter ad diuinum cultum dedicata facere, etiam principaliter ob aliquod horum quinque non est peccatum mortale, licet miraculis post mortem, ut fertur illustratus Angelus à Clauasio, & magna in reuerentia ut audio habitus in monasterio nostræ Dominæ Angelorum nuncupato à Ciuitate Cuni per vnum miliare distante in Pe demutio contrarium deciderit in sua summa verb. vanagloria. §. 1. Tū quia tunc demum est illorum appetitus ratione solius finis mortifer, quando finis est mortifer, vel pro vltimo fine accipitur, iuxta communem S. Thomæ & aliorum supra relatam sententiam: & frequenter contingit, ut quis prædicet, misset, & alia similia faciat principaliter ob aliquod horum quinque, non ponendo in eo vltimum finem. Tum quia si contrarium, quod Angelus inquit, esset verum, ve possemus dicere fere omnibus, qui sunt status clericalis, iuxta cuiusdam doctoris sententiam eruditionis resoluta, quam refert Siluestr. verb. vanagloria.

Verum pro opinione Angeli facit primo illud dictum S. Augustin. lib. 1. de doctr. Christi. ab eo citatum, *Diuina scriptura principaliter ordinatur ad honorem Dei, in quo Deus contemnitur, si principaliter ad alterius honorem ordinatur.* Secundo facit illud D. Antonini paulo superius adductum, *Appetere, vel recipere lauream doctoratus in sacra Theologia principaliter propter lucrum, & illius prærogatiuas, atque immunitates est peccatum mortale; licet illum appetens vel recipiens habeat scientiam ad id sufficientem.* Tertio facit, quod videtur admittere simoniam qui principaliter huiusmodi spiritalia operatur ob gloriam, laudem aut aliud prædictorum quinque; iuxta ea quæ dicit Gregor. in cap. sunt nonnulli. 1. q. 1. post alia, quæ post eum late satis scribit Adrianus quolib. 9. ab H. ad O.

Ad primum tamen horum potest responderi id quod aliqui sentiunt, scilicet verbum principaliter præfato dicto insertum soluere argumē-

tum

tum, intelligendo D. Augustinum sensisse, peccatum esse prædicta facere ponendo in eis vltimum finem; quo verbo cum utatur Angelus ait illius scholiastes siue postillator noluisse eum dicere, quod ei Syluester imponit.

Contra quã tamen solutionem facit primo, quod aliud est facere aliquid principaliter in aliquem finem, & aliud in eo vltimum finem ponere, ut supra dictum fuit. Secundo quod Angelus aperte sentit differre in hoc opera principaliter diuino cultui dedicata, & alia quæ principaliter illi non dedicantur; & capiendo verbum illud principaliter in præfato significato nulla inter hæc inuenietur differentia: cum omne opus factum ob gloriam, ponendo in eo vltimum finem, sit mortiferum peccatum, iuxta S. Thom. & alios supra relatos. Alius tamen aliter responderet forte dicto S. August. nempe illum de sacra scriptura verba facere, & non de aliis: quod tamen non videtur satisfacere. Tum quia fere omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, aut à sacra scriptura sumuntur, vel per ipsam fiunt; & consequenter Angeli conclusio semper esset vera, si hoc esset verum. Tum quia eadem ratio, qua hoc esset de sacra scriptura dicendum, scilicet quod principaliter est ad Dei cultum destinata, concluderet esse dicendum de aliis oibus, quæ principaliter ei sunt dicata: & consequenter in oibus idem esset dicendum l. illud. ff. ad l. Aquil. Quare verius nobis videtur responderi posse, S. Augustinum verbo illo contemnitur, non intelligere formalem contemptum, & expressum, neque etiam tacitum tam grandem, qui culpam mortalem constituat, sed tantum intelligere contemptum, qui tacitum veniale graue constituat: & ut differentia qua præfatus D. Augustinus inter principaliter ad cultum diuinum dedicatum, & non dedicatum esse sentit, sit quæ licet vtrumque sit peccatum; maius tamen est quãdo id quod ad honorẽ Dei principaliter dedicatur principaliter ad honorẽ hominis usurpatur. Ad illud vero D. Anton. respondetur negãdo, quod negat Syluester in summa verb. doctor. Ad tertium autem respondetur primo, hic tantum disputari, an hoc sit peccatum vanæ gloriæ mortiferum nec ne, & an sit peccatum alterius speciei. Secundo nos in præsentia veriore putare Caietani resolutionẽ in summa verb. simonia. scilicet quod dare aut facere aliquid spirituale ob laudem, vel gloriam non uti prætium, sed uti gloriam non esse peccatum simoniæ, quidquid dicant Adrian. & ab illo citati quolib. 9. lit. M. ut longe post hæc scripta tetigimus in Manual. Confess. cap. 23. nu. 102. Et gaudeo quod nobis consentit scholiastes seu postillator eiusdem Angeli, licet immerito neget quod Syluester Angelo tribuit: nam certe iam inde ab adolescentia magnum nobis laborem addidit illa Angeli decisio in sacram confessionum præparatione; licet non parum iuuerit ad arcendũ laudis, & gloriæ appetitum.

57. Trigesimum quintum corollarium, quod in illo Redemptoris, Matth. cap. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* dictio illa, ut, denotat finem præcipuum, seu principalem, qui neque actu neque virtute refertur in alium finem debitum: & quod eadem dictio denotat causam minus principalem, & finem ordinatum in alium finem debitum ut in illo alio eiusdem Redemptoris, Matth. 5. cap. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est.* quæ quidem concordia clarior est illa, quam tradit Ioannes Gersonus 2. part. alphab. 39. in tractat. de temper. col. 3. Quo fit primo non licere opera bona facere, ut videamur siue laudemur ab hominibus, sistendo in eo solo gradum; sed licere ea facere, ut laudemur quod Deus glorificetur; id est ut velimus laudem & gloriam nostram, referendo eam in laudem & gloriam Dei. Fitque secundo, verum esse illud, quod specialius quam alii asserit Maior, super Matth. cap. 6. col. 2. nempe gloriam propriam, quam quis sibi querit propter laudem & gloriam Dei, non esse inanem. Fitque tertio, quod illud Abulensis Matth. cap. 5. gloriam bonorum operum querendam esse solum ad laudem Dei; & illud Caietani ibidem ob bonum opus debere quæ laudem velle non sibi sed Deo, intelligenda esse de laude principali hominis, & non de minus principali, vel virtualiter relata in Deum, vel alium finem bonum & aptum.

58. Trigesimum sextum, dictum illud Aristotelis Ethicor. 4. à S. Thoma 2. 2. q. 131. art. 1. Antonino 2. part. tit. 4. cap. 1. §. 3. & aliis receptum, & à nobis supra nu. 7. laudatum magnanimi nempe esse contemnere laudem & alia præfata quinque, intelligendum esse; cum illa sunt vana, aut non sunt vana, verum humana, ac præsertim profana; & non diriguntur in alium finem præterquam ad ornamentum suæ personæ, & ad bonum particulare temporarium: nam sic, & in hunc finem considerata parua sunt; cum non sint nisi bona extrema & temporaria, ut colligitur ex septem articulis 1. 2. q. 2. in quibus diligenter inquit S. Thomas de bonis supernaturalibus & diuinis, in quibus vera beatitudo consistit. Non esse autem intelligendum; cum illa non sunt vana, sed diriguntur in laudem Dei, & salutem animæ propriæ, vel proximi.

59. Trigesimum septimum, quod multi animo suapte natura excellentiore, nobiliorique; præsertim eorum qui suo genere sunt tales, decipiuntur & errant credendo præfata quinque bona honorabilia tanti, & magis æstimanda esse, quam vita & salus: & ideo deliberant eas potius quam gloriam & famam perdere; licet id non exigat præceptum diuinum, nec humanum iustum, nec publica salus, nec priuata suæ, vel proximi animæ, neque rerum defensio ad id necessaria; sed solum ut laudem, & honorem assequantur quod esse manifestum errorem constat

ex


ex prædictis, quibus probauimus quinque bona honoraria minora esse quam corporaria vitæ & salutis. Quod autem prædicti nobiliores magis in hoc, quam ceteri errent, constat ex eo, quod ut plurimum ceteri gratia Deo plura faciunt vitam, & salutem quam quinque præfata; ut experientia, quæ rerum omnium magistra est, cap. quàm sit. de elect. docet: & quod illi iam inde ab incunabulis secuti Tullium & Gentiliū Romanorum consilium à S. Augustino libr. 5. de Ciuit. Dei cap. 13. damnatum, incitant ad laudis & gloriæ studium, atque cupiditatem, oblitū illud euangelicum Matth. 11. *Discite a me: quia mitis sum, & humilis corde.* & illud eiusdem cap. 5. *Beati pauperes spiritu:* Immo & illud Ethnici Persii satyra 2. irridentis matres quæ præcantur à Diuis honoribus, & diuitias suis filiis, per illa verba. *Ecce auia & metuens Diuum matertera cunis. Eximit puerism. &c. Nunc Lucini. &c.* Qua in re iudicio meo minus, ut plurimum, peccatur in Galliis, quam in Hispaniis; in illis enim plurimi filios suos tradunt aliis genere & opibus inferioribus, virtute tamen, prudentia, & scientia egregia præditis, ut eis inseruiant, & discant, & doceantur ab eis prædicta; tradentes eis frequenter victum & munera, quo eos humilitatem, pietatem, & in Deum & eius sanctos reuerentiā, præ omnibus aliis artibus, verbo & exemplo doceant.

S V M M A R I V M.

- 60 *Parens doceat filios, ut non ament principaliter bona honoraria; sed virtutem, cui debentur illa, referendo ea in Deum vel alium finem aptum.*
 60 *Regina Galliarum Blanca genere de Hispano prognata exemplar christianissimum ad filios christiane instituendos.*
 61 *Gloriam in diuinam omnia facienda sex habet intellectus.*
 62 *Peccare volentes honorem ob diuitias pulchritudinem, & alia bona corporalia, vel pecuniaria, vel ornamenta eorum sine aliquo iusto virtutis respectu.*
 63 *Virtuti soli per se debetur honor, alijs autem per respectum ad ipsam.*
 63 *Honor deberi potest vitiosis ob multos ad virtutem respectus.*
 64 *Honoris appetitus de re inepta sic nobiles, & monachi reforment.*
 64 *Voto solenni paupertatis cui honori renunciatur.*
 65 *Honor non est querendus à clero ob staturam bonam, &c.*
 65 *S. Martinus male despectus ob despicabilem vultum.*
 66 *Honorem appetentes moniales de variis rebus ut varie peccant.*
 67 *Honorem de sordibus quærentes an peccent.*
 68 *Honor non potest iuste queri, nec appeti de nimio rerum sordium, vel splendorum usu.*
 68 *Vestium sumptus clericorum, & monachorum nimis multis damnatus.*
 69 *Vestes caudatæ ut sunt damnatæ.*

N

69 Glo.

69 *Gloria vana suspicionem fugere nequeunt pralati nimium insumentes.*

TRIGESIMVM OCTAVVM corollarium, quod parentes deberent pueros suos ita instituere, vt minoris habeant hæc quinque bona honorabilia, quam bonum virtutis cui debentur; admonendo eosdem, se consecuturos ea, si virtutem amplexi fuerint, & vitia cum peccatis fugerint exemplo illius gloriose Galliarum Reginae Blancae Hispano de genere prognatae, quæ filium suum Regem Francorum, cum adhuc puer esset, ad virtutem amplectendam & peccata fugienda sæpe inculcabat dicens, *Mallet te videre vita corporea defungentem quam mortifere peccantem.* nouerat enim prudentissima mater illud, *Semel est imbuta recens seruat odorem testa diu.* Et illud Aristotelicum 2. Ethicor. *Non parum quin potius refert totum an sic vel sic homines ab adolescentia consuescant.* cui consonat illud Ambrosii clarissimum cap. reperiuntur. de penitentiis. 3. cap. ex studiis. & cap. fin. de præsumptione. *Facilius inueni qui serualet innocentiam, quam qui congrue egerit penitentiam.* Per quæ constat Ioan. Maior. in 4. dist. 22. q. 2. col. 3. prædixisse, impium esse illud senarium *Angelicus iuuenis senibus sathanizat in annis.* quod alibi alius eloquentissimus dixit authore sathana prodiisse. non tamen nobis est animus dicere, nullatenus esse pueros incitandos ad laudem, & gloriæ amorem; sed non esse incitandos vt illa principaliter, & propter se appetant, sed referendo ea in Deum, vel aliam finem bonum & aptum.

61 Trigesimalimum nonum, ex supradictis colligi verum & germanum intellectum illius Pauli 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis sive bibatis omnia in gloriam Dei facite.* Et illius eiusdem ad Collossen. 3. & cap. non liceat. 26. q. 5. *Omnia quæcunque facitis in verbo aut in opere omnia in verbo D. N. Iesu Christi facite.* Vel secundum aliam uersionem. *Quidquid egeritis sermone aut facto in nomine Iesu facite.* Nam iuxta utrumque Thomam in d. cap. 10. & cap. 3. ad Corinth. & Aquinan. in 2. lib. sentent. distinct. 40. art. 5. possunt duo illa loca multis modis intelligi. Primo negatiue, id est, ne quicquam contra Dei gloriam & honorem faciamus; iuxta quem intellectum continent præceptum, & omnino sunt obseruanda; & quotiescunq. mortaliter aut uenialiter peccamus illa illis transgredi mur. Secundo affirmatiue. scilicet vt quidquid dicimus aut facimus sit aptum ad laudem & gloriam Dei, iuxta quem intellectum etiam continent præceptum, significant enim cuncta quæ facimus siue comedendo, siue bibendo debere fieri ea bene saltem moraliter. Tertio vt singula verba, & opera nostra, quæ fecerimus vel dixerimus fiant & dicantur propter Deum, referendo illa actu vel virtute in Deum, aut obse-

obsequium eius. iuxta quem intellectum continent consilium & non præceptum; significant enim multo melius esse facere ita illa referendo in Deum, qui est vltimus finis, quam in alios fines etiam aptos, qui sunt multo inferiores. Quarto vt omnia nostra dicta & facta, sumpto verbo, omnia, collectiue ita dicantur & fiant, vt nullum illorum sit, quod actu non referatur in Deum & eius obsequium, quod quia obseruare non possumus in via, cum proprium sit alterius vitæ status, neque præceptum neque consilium continet. Quinto præter S. Thomam intelligi potest, vt significet ne quicquam agamus principaliter ob humanam gloriam, vel laudem nostram; iuxta quem sensum etiam continet præceptum, ob ea quæ supra diximus. Sexto etiam ultra eundem Thomam possunt intelligi, vt significant ne quicquam dicamus vel faciamus principaliter, vel secundario ob laudem vel gloriam nostram; iuxta quem intellectum continent consilium: quandoquidem possunt esse bona & sancta opera facta minus principaliter ob laudem & gloriam propriam; dum tamen non sint vana, vt supra ostendimus; tamen si essent meliora & sanctiora, si absq. aliqua mixtura appetitus gloriæ vel laudis nostræ fierent, quam cum illa, vt supra satis superq. diximus corollar. 3.

62 Quadragesimum corollarium, peccare appetentes magnum honorem, & reuerentiam ob pulchritudinem, vires, salutem, & bonam corporis habitudinem, sine alio respectu; & grauius appetentes ea, ob diuitias, & pretiosas mollesq. vestes, quæ satis perpensa non sunt aliud quam linum, lanam, pellis, & verminum sterces: & magis qui appetunt ea ob pingues mulas, & spumantes equos, quibus insidendo incedunt. Tum quia iuxta S. Thomam ab omnibus, vt supra diximus, in eo receptum 2. 2. q. 63. art. 3. & q. 130. art. 2. ad 3. 144. art. 1. 15. art. 1. ad 2. & 4. & 186. art. 7. ad 4. inordinatus est appetitus honoris ob rem, quæ illum non meretur, aut non tantum quantum appetitur: & constat inter bona humana solam virtutem per se honorandam, vt idem ipse post Aristotelem 4. Ethicor. definit. At exploratum omnibus est præfata non esse talia, vt supra monstrauimus. Igitur qui honorem ob ea solū appetit peccat, id quod continet nostrum corollarium. Tum quia peccat qui alium ob illa solam tantum sine alio respectu honorat, aut reueretur Diuo Iacobo damnante epistola 1. cap. 4. illos qui altiorē locū deferant alicui, eo quod annulum aureum ferat, ac in veste candida intret. Tum quia teste S. Thoma 2. 2. q. 130. art. 2. ad 3. falluntur qui sibi persuadent, se magnos esse aut magna mereri ob diuitias, & cætera bona pecuniaria, quibus abundant. Tum quia idem in eodem art. 2. ait stultorum esse opinionem illam, quæ iudicat maiorem ac præstantiorem eum, qui pulchrioribus vestibus ornatur, aut alios spernit vel iniuriis afficit. Et 2. 2. q. 145. art. 1. dicebat insipientium & non sapientium

tium esse sententiam iudicantium eum, qui alios diuitiis superat maiori honore & reuerentia dignum esse.

63 Cæterum contra hæc aliquis opponet illud Aristotelis, *Horum qui honorantur aliquid virtute excellentius esse, nempe Deum & beatitudinē, & alia infra virtutem vt nobilitatem, potentiam & diuitias.* Secundo quòd totus mundus nobiles, potentes, & diuites etiam si vitiosi sint honorat & reueretur. Ad quæ primum ex mente S. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 1. respondetur cōcedendo quidem, quòd multi iuste honorantur, licet non sint virtuosi siue studiosi; & multi etiam virtuosi propter alia, quæ non sunt virtutes; negando tamen quòd honorentur propter se sine virtutis respectu: quoniam quidam honorantur propter Deum, quem representant, vt præfules ecclesiastici, Reges, & alii præfecti etiam seculares, immo parentes; & domini, qui etiam representant eundem quatenus est omnium pater & dominus; & alii qui representant Ecclesiam, cui non potest deesse virtus; vel representant Rempublicam, cui semper inest vel præsumitur inesse virtus: itē senes, quatenus per se ferūt inditia virtutis, iuxta illud Sapiēt. 20. & cap. porro. 65. dist. *Gloria senū est canities.* Alii vero honorantur, quia habent apparatus & instrumenta exercendæ virtutis, puta nobilitatem, potentiam, & diuitias. itaq. honor, vt iuste alicui deferatur, debet deferri ob virtutē eius propriam, aut ob illius quem representat, aut ob virtutem ad quam exercendam habet maiorem aptitudinē vel apparatus ad illam.

64 Quadragesimum primum, quòd ex proximo corollario colligitur, nobiles, potentes, diuites, & alios prædictis bonis exornatos non debere admittere honorem, neque alios illis deferre, eoquòd recte & directe mercantur illum, si non sunt vere studiosi siue virtuosi; sed eoquòd maiorem habilitatem & apparatus, quàm alii habeant bene merendi illum per aliqua virtutum opera; aut quia referunt maiores aliquos suos, qui virtutibus claruerunt, vt S. Thom. receptus 2. 2. q. 63. art. 3. & quolib. 10. art. 12. & Caietan. ibi, & super cap. 3. Iacob. docet; quòd deberent etiam atque etiam secum reputare ad fugandā pestem superbiæ, ambitionis tumultum, quæ sæpius illos quàm alios triumphat; & ad assequendam & conseruandam animi tranquillitatem, mentisq. compositionem, quæ de hac humilitate & cæteris virtutibus promanant.

Colligitur etiam ex eodem corollario monachos & monachas, qui se magnificiunt, eoquòd ex illo vel illo genere descendant, contemnūtq. alios genere inferiores, & interdum piget eos, quòd foris sciatur intus alios vel alias præter filios filias ve magnatum in suis monasteriis sibi conuiuere, debere reformare suos cogitatus: quoniam licet per votum paupertatis non renuncient honoribus & præminentis virtuti probitatiq. debitis; renunciant tamen honori eis ex ostentatione & exte-

rriori

riori apparatu proueniendo, vt pulchre ac dilucide vterq. Thomas declarauit 2. 2. q. 186. ar. 7. ad. 4.


65 Quadragesimum secundum, errare clericos & monachos, qui tantū honorem sibi voluit deferri, quantum aliqui deferendum putant ob magnam corporis staturam, pulchram habitudinem, vultum honorabilem, & id genus alia. Tum quia non sunt virtutes, neque illarum actus, sed quædam instrumenta ad eas exercendas idonea & apta: ob quæ, vt in proximo superiori corollario dictum est, nemini debetur recte & directè honor, vti ob virtutes & earum actus. Tum quia merito disertissimus Sulpitius damnat quosdam episcopos, qui glorioso illi beato Martino detrahebant honorem; eoquòd esset vultu despicibilis; quoniam forma vel deformitas per se non est honore vel vituperio digna, cum non sit virtus neque virtutis actus, vt supra monstratum fuit. Magis tamen errare illos, qui volunt & quærunt sibi honorem ob vestes pretiosas, & politas, vel adeo demissas, vt verrant terram, eleuent puluerem, lutum cogant, vel ob vsum barbæ nimis compositæ & vinctæ aut ob vsum comæ pulchrè pectæ, & crispatæ & id genus alia: quia hæc frequenter sunt mala culpæ, saltem venialia; & ideo vituperio potius quàm honore digna, excepta dilatione demissarum vestium, quæ quibusdam ob magnam personæ dignitatem permittitur, saltem consuetudine rationabiliter recepta.

66 Quadragesimum tertium, quòd ex duobus proximis corollariis deducitur quid respondendum sit confessariis interrogantibus de monialibus, quæ pro varietate regionum variis de rebus appetunt & quærunt sibi honorem & laudem; aliæ quidem de proceritate, forma speciosa, & habitudine pulchra; propter quod nonnullæ ferunt sandalia ad palmam eleuata; de quo tamen alicubi fuit dubitatum an etiam laicis fœminis esset peccatum mortiferum; aliæ de caudatis vestibus, quibus verrunt terram, & puluerem excitant; aliæ de vitis sericis elaboratis, crispatisque velis, ac variis modis confutis; aliæ de electis manibus, pulchris & longis digitis; atque interdum annulis fulgentibus; aliæ de musco aliisque suauibus odoribus, quibus inunguntur; aliæ de peritia exquisitè parandi saporandique varias epulas; aliæ ob animum tam elatum, quo despicunt subsanantque sodales parum cultas & compositas, & præsertim eas quæ contemnunt huiusmodi,

67 Quadragesimum quartum, è contrario debere suos appetitus laudis, & honoris reformare illos, qui appetunt laudem, vel honorem ob solam gestationem vestis, vel habitus vilis, sordidi, vel pannosi variis variorum colorum frustris veteribus veluti picturati; ob facies, & manus macie extenuatas; ob barbas, & capilitia incomposita, vel alio modo sordidata; ob vestes, & vittas oleo, vel alio licore maculatas, & id genus alia. Tum quia omnia præfata sunt peccata mortifera, aut venialia, aut certe

S U M M A R I U M.

- 70 *Appetuum bonorum quinque honorariorum esse nobis continuum hostem.*
 70 *Glorie inanis amor hostis maximus, insidiosus, secretus, &c.*
 70 *Ambitio torquens omnes, omnibus placet.*
 70 *Gloria vana dux maxima, gignit septem produces iactantiam, &c.*
 71 *Bona suo genere per amorem laudis quo ad gratiam perdi.*
 72 *Preceptum & finis precepti non sunt communiter idem.*
 72 *Preceptum per peccatum etiam mortale impletur ad hunc effectum.*
 73 *Missam audiens, horas dicens, &c. peccando ut satisfacit.*
 73 *Peccato non impletur preceptum quo ad gratiam.*
 74 *Contraria duo diuerso respectu insunt eidem.*
 74 *Contraria ut non sunt mereri gratiam, & mereri mortem.*
 75 *Penitentia bene moraliter acta, ut pluris est quam venialiter acta.*
 77 *Pape cum consecratur incenditur quedam stupa, qua ardente dicitur ei: sic transit gloria mundi.*
 77 *Bona honoraria peregrina que ac pecuniaria appeti, & contemni iuste posse.*

70  **V**ADRAGESIMVS SEXTVS corollarium est, appetuum horum quinque, scilicet laudis, honoris, fame, glorie, & reuerentie esse infensum & continuu inimicum: nam preter ea, que supra citauimus, que- dam S. August. gloss. ad Thessalo. cap. 2. per S. Tho. relata 2. 2. q. 132. art. 3. sic habet, *Quas vires habet nocendi humane glorie amor non sentit, nisi qui ei bellum indixit: quia etsi cuiunque facile est laudem non cupere dum negatur: difficile tam en est non delectari, cum offertur.* est que hic amor cautus insidiator iuxta illud Chrysostomi super Matth. cap. 6. *Inanis gloria occulte ingreditur, & omnia que intus sunt insensibiliter aufert.* est item admodum audax; ingreditur enim eo quod alia vitia non possunt ingredi, eodem sic restante, *Cum vitia cetera locum habeant in seruis diaboli, inanis gloria etiam locum habet in seruis Christi.*

Aduertendum tamen est, quod hec S. Chrysostomi elogia videntur sibi contraria, licet de contrarietate non admonuerit nos doctissimus ille Aquinas, qui ea ambo citauit 2. 2. q. 132. art. 3. nam si gloria inanis aufert quecunque intus in anima inuenit, ut prius elogium habet, auferret etiam charitatem & gratiam, quibus qui fuerit orbatus non erit seruus Dei, imo capitalis eius inimicus; & consequenter non inuenietur in ijs, qui sunt serui Dei, ut posterius elogium habet, sed in ijs qui fuerunt aut erunt serui eius, in quibus etiam alia vitia inueniuntur: sed con-

ciliari.

certe acta, vel facta naturalia, vel tam parui generis virtutum, ut nulla sint laude, vel honore digna: aut certe non tanta, quanta facientes ea desiderant: & consequenter mala, vel vana, per rationem corollario inferuntur. Tum per illud S. Augustini in reg. cleric. cap. 4. *Interiores animi sordes contrahit munda vestis nimius appetitus.* & per illud eiusdem ibidem cap. 3. *Non sit notabilis habitus vestis.* id est, non possit damnari neque nimie cure, neque nimie incurie, in fingendo adhibite. Tum quia in generali concilio cap. cleric. de vita, & honest. cleric. Innocen. huius nominis III. constituit, ne vestes clericorum nimia longitudine, vel breuitate essent notanda: sed, ut ibi ait gloss. ad tales attingerent, & eos non excederent. Quod & multo ante in alio concilio cap. non literas. 23. distin. Clemens v. definiuit, ne monachoru vestes nimia breuitate, vel longitudine notarentur.

69. Quadragesimum quintum, quod arbitror non habere quid satis recte respondeant aliquæ monachæ, quæ scire volentes plusquam vniuersalia Concilia, & vniuersa mater Ecclesia, arbitrantur tanto maiore esse suam honestatem & gratuitatem, quanto maiorem caudam suarum vestium deferunt. Cum id neque D. N. IESVS CHRISTVS plenissimus totius vitæ Christianæ architypus, & dux, neque gloriosissima Virgo mater eius tale quidquam fecerint vel docuerint, neque Ecclesia constituerit: immo sepe vanitatem huiusmodi iuri naturali contrariam prohibuerit, tum ob illud eiusdem magni Augustini cap. 3. regu. cleric. *Non affectetis placere vestibus, sed moribus.* & illud septimæ synodis cap. 1. 21. q. 4. allegantis magnum Basilium, *Omne quod non propter necessitatem, sed propter vniuersitatem accipitur, elationis habet calumniam.* & illud S. Hieronymi in princip. 42. distin. *Neque affectata sordes, neque exquisitæ delitiæ laudes pariunt.* & aliud eiusdem cap. Ecclesia. 45. distin. *Gloriam fugiendo non queras, & an non confusio & ignominia est Iesum crucifixum, pauperem, & esurientem fartis predicare corporibus, & ieiunorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferrere si in Apostolorum loco sumus non solum sermonem illorum imitemur; sed etiam conuersationem, & abstinentiam.* Tum quod Ierfonus ille maximo in prætorio à Collegio Sorbonico habitus, in tracta. de temperan. in cibo, potu, & vestibus prælato. 2. par. alphab. 39. aiebat, nullatenus posse vanæ gloriæ, aut superbiæ suspensionem effugere prælatos ecclesiasticos, qui faciunt immoderatos sumptus in cibo, potu, vestitu, & familia; licet dicant se id facere in honorem suarum dignitatum, & ecclesiastici status: neque dicendo se id facere, ut tempori cedant, & ne habeantur tristes hypocritæ aut avari, quod multis eisdemque sufficiens rationibus comprobatur, dignis quidem illis, quas prælati & ceteri ecclesiastici die noctuque ob oculos versent.

S U M-

ciliari possunt, intelligendo prius elogium de inani gloria mortifera, posterius vero de inani gloria veniali. Est item hic appetitus siue amor glorię dux primarius superbię, secundum S. Gregorium 31. lib. Moral. sub quo multi alij militant, ex quo multę alię produces oriuntur: nam ex appetitu laudis, honoris, & reuerentię nascitur ambitio, quę est secundum S. Thomam 2. 2. q. 131. art. 1. inordinatus appetitus honoris, de qua ait S. Bernard. lib. 3. de considera. ad Eugenium. *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places?* & alio loco, *Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, execatrix cordium, ex remedijs morbos creans, & medicina laborem generans.* de qua eadem gloria inani ait S. Thomas 2. 2. q. 132. art. 5. eam gignere septem filias, quas vti totidem Amazones fouet & nutrit. prima est iactantia, qua quis verbis excellentiam suam veram vel falsam inordinate iactat. Secunda est inuentio nouitatum, qua quis factis veris se inordinate magnum exhibet. Tertia hypocrisis, qua quis se falsis, confictisque factis alium quàm sit facit. Quarta est pertinacia, qua quis se maiorem aliis scientia ostentat. Quinta discordia, qua quis inordinate contendit sententiis aliorum suam preualere. Sexta contentio, qua quis se inordinate clamore in colloquijs & disputationibus venditat. Septima inobedientia, qua quis omittit inordinate facere, quod sibi est preceptum, aut non facere eoquod sibi precepitur. sed quia id ei placet, aut alio iniusto respectu?

71. Quadragesimumseptimum corollarium, quod suo genere bona per appetitum prefatorum quinque pereunt saltem quoad gratiam & gloriam: nam licet prefatus appetitus non sit mortifer, nisi quando habetur de peccato mortifero, vel cum ponitur vltimus finis in eo, vel cum aliquod preceptum ad mortale obligans frangitur: est tamen venialis cum habetur de aliquo eorum propter se tantum principaliter, vel propter aliud, quod est veniale, vel finis ineptus: & ad hoc, vt boni operis fructus perdaturo ad gratiam & gloriam, sufficit quod sit veniale, vt S. Thom. in 2. lib. senten. distin. 40. q. 1. art. 4. & Maior distin. 17. q. 11. Caiet. super Matth. cap. 6. & probatur per illud S. Augustini. cap. 1. regule, *Alia quacunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; superbia vero etiam alijs bonis operibus insidiatur, vt pereant.* Et per illud S. Gregorii, Matth. cap. 25. *Cauete fratres, ne per hoc, quod a vobis reatum geritur, fauor aut humana gratia requiratur; ne appetitus laudum surreat; & quod foris ostenditur intus a mercede euacuetur.*

72. Quadragesimum octauum, per proxime dicta facile cuiquam videri posset, quod nullum preceptum potest impleri per actus malos saltem venialiter; & consequenter audientem missam die festo, recitantem horas preceptas, ieiunantem diebus, quibus ei precepitur vt ieiunet,

& alia

& alia precepta opera facientem principaliter ob aliquod horum quinq. vel ob alia pecuniaria bona, vel cum defectu alicuius circumstantię propter quam in precepto adimplendo peccauit, teneri iterum audire missam, recitare horas, ieiunare, & adimplere preceptum male completum. Primo quia S. Augustinus & Gregorius in precedenti corollario allegati aiunt talia opera esse inania & inutilia. Secundo quod impletio preceptorum peccando nihil premissi meretur, immo demeretur poenam, vt predictum est. Tertio quod duo contraria non possunt esse simul vera, neq. de vno & eodem vere dici cap. 1. de postul. prelat. l. siue hereditaria. vbi gloss. ff. de negot. gest. l. relegatorio. §. fin. ff. de interd. & rel. Et mereri & demereri, seu bene mereri & male mereri sunt contraria, vt palam est. ergo non possunt vere de eodem dici & vni & eidem subiecto inesse, cap. ad nostram. de appel. & l. 1. ff. eod. at impletio preceptum peccando meretur poenam, ergo non potest bene mereri premium: quale est completio precepti & absolutio ab obligatione illud implendi. Quarto quod qui obligatur facere aliquid si non facit, vt debet, non videtur satisfacere qui non facit. ff. de reg. iur. cap. ea te. de iureiuran.

Sed contra tenendum est. Tum quia adimpletio precepti non requirit communiter, vt per eam perueniat implens in finem in quem precipiens eum intendit inducere: quoniam communiter aliud est quod precipitur, & aliud finis in quem precipitur, vt egregie S. Thomas a Paludano, Caietano, & alijs communiter receptus definit. 1. 2. q. 100. art. 9. & satis art. 10. & q. 96. art. 3. ad 2. & 2. 2. par. 44. art. 4. ad 1. & 73 art. 8. Ob quę Maior in 3. lib. senten. dist. 37. q. 15. determinat eum qui ob vanam gloriam baptizatur adimplere preceptum de suscipiendo baptismo, & recitantem horas preceptas, & ieiunantem diebus preceptis ob vanam gloriam non teneri iterum recitare aut ieiunare; & hanc esse communem sententiam affirmat Iacobus Almaynus in 4. distin. 16. q. 1. col. 42. qui ambo addunt non solum per opus quod est tantum peccatum veniale adimpleri preceptum ad effectum, vt non teneatur iterum adimpleri; sed etiam per opus valde mortiferum. Cuius rei exemplum ponit Maior in eo, qui obligatus dicere pro altero missam eam dicit in mortali peccato; & consequenter valde mortifere peccando, vt post Apostolum 1. ad Corinth. 11. Innocentius ait in cap. de homine. de celebr. missar.

Non obstat in oppositum adducta: ad primum enim eorum respondetur, quod Augustinus, & Gregorius loquuntur de merito gratię & glorię, quod non meretur qui peccando saltem venialiter adimplet preceptum; quod etiam nos concedimus: nostra vero conclusio loquitur de solo merito liberandi & absoluendi ab obligatione iterum implendi preceptum, & excusandi a nouo peccato, quod incurreret; si

O

nec

nec bene nec male impleteret, quæ sunt diuersa, & à diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. cap. ad audientiam. de decimis.

Ad secundum respondetur concedendo quidem, quòd adimpletio præcepti peccando nihil gratiæ, gloriæ, nec regulariter satisfactionis pœnæ meretur; sed negando tamen quòd non mereatur liberationem ab obligatione iterum implendi præceptum, & à nouo peccato, quod incurreret; si saltem peccando non adimpleret.

74 Ad tertium respondetur concedendo, quòd duo contraria non possunt esse vera, quatenus sunt verè contraria, nec se compatiuntur: negando tamen primo, quòd sint verè contraria implere præceptum quoad vnum effectum, & non implere illud quo alium: quia ad hoc vt aliqua sint contraria oportet, quòd per ea expresse vel tacite aliquid de eodem affirmetur & negetur; vt in ijs, hoc meretur gratiam, hoc idem non meretur gratiam, in quibus idem de eodem expresse affirmatur & negatur. & in iis, hoc est peccatum mortale, hoc ipsum meretur gratiam, in quibus tacite idem de eodem negatur & affirmatur; cum id quod est peccatum mortale non mereatur gratiam. Negando item secundo quòd sint contraria mereri pœnam, & mereri gratiam: quia mereri vitam animæ siue gratiam, & non mereri vitam corporis non sunt contraria: & quia iuste damnatus ad mortem patienter & christianè obediens iudici meretur quidem vitam animæ, siue gratiam, & non vitam corporis, immo eius mortem; & e contrario homicida male negans occidisse, si non probetur contrarium, meretur vitam corporis apud iudicem, & mortem animæ apud Deum: & consequenter eadem ratione adimplere præceptum quoad effectum vitandi nouum peccatum, transgressionis illius, & non adimplere quoad effectum merendi gratiam, non sunt contraria; nec per consecutionem adimplere præceptum de audiendo missam, vel de recitando, vel ieiunando quoad effectum vitandi nouum peccatum, & liberandi ab obligatione iterum audiendi missam, recitandi, vel ieiunandi, & non implere illud quoad effectum merendi gratiam, non sunt contraria.

75 Ad quartum respondetur concedendo, quòd nõ satisfacit præcepto, qui non adimplet illud eo modo, quo debet; intelligendo de modo ad quem seruandum intendit obligare præcipiens, ad effectum vt solutio sit iusta: negando tamen quòd non adimpleat non seruando modum implendi ad alios effectus, quem deberet seruare per alias leges, ad effectum bene merendi de Deo & alios effectus exempli gratia, debet quis alteri centum scuta mutuo gratiose accepta, is lege naturali, diuina, & humana de soluendo obligatur sibi soluere eo modo, quem requirit iustitia specialis; scilicet quòd soluat totidem iusti auri, iusti pòderis, & quod solutio fiat in loco, & tempore statis; et si hunc modum soluendo non seruat non satisfacit. Is item secundum præcepta et leges, chari-

charitatis et aliarum virtutum ad effectum bene merendi de Deo obligatur soluere amanter, vrbane, & modeste cum gratiarum actione, & propter Deum, aut alium finem aptum, & debitum; adeo quòd alter soluendo peccet, sed satisfacit legi & præcepto iustitiæ specialis de soluendo: quia licet non soluat, vt debet ad effectum bene merendi de Deo, & aliter soluendo peccet, soluit tamen ad effectum satisfaciendi legi iustitiæ, quem præceptum de soluendo requirit. sic qui audit missam præceptam, & seruat ieiunium præceptum, & recitat horas præceptas seruando modum, ad quem præcipiens intendit obligare; puta audiendo missam integram, & attente, ieiunando, non comedendo carnes, nec alia vetita, nec nisi semel; & recitando horas integras, cum attentione debita adimplet præceptum ad effectum excusandi ab iterum adimplendo, & à nouo peccato, quod incurreret si non adimpleret saltem peccando: quamuis non adimpleat secundum modum, ad quem alia præcepta, & aliæ leges ad effectum bene merendi de Deo obligant.

76 Quadragesimum nonum corollarium, ex proxime dictis inferri, quod implens pœnitentiam sibi à suo confessario præceptam, etiam ex defectu alicuius circumstantiæ peccando, satisfacit præcepto confessarii quoad effectum liberandi ab obligatione eam iterum implendi, & ab incurrendo nouo peccato; quod incurreret si non impleteret, saltem peccando eo modo, quo præceptum fuit, licet ob eam non satisfaciatur, neque aliquid pœnæ confesso peccato debite in purgatorio soluat. Non est tamen idem dicendum de pœnitentia in peccato mortali iuste, siue bene moraliter impleta: nam illa licet non prosit quoad meritum gratiæ, neque gloriæ; prodest tamen non solum quoad complendum præceptum, sed etiam quoad satisfaciendum, & soluendum pœnam peccato confesso in purgatorio debitam, vt in cap. 1. in princip. nu. 49. de pœnit. distin. 6. sicuti opinionem Scoti & asseclorum eius omnia contraria, licet probabilis scripsimus.

Ex quo subinfertur illa elegans conclusio, impletionem scilicet pœnitentiæ bene moraliter bonam in statu peccati mortiferi factam magis prodesse, quàm impletionem pœnitentiæ venialiter malam in statu gratiæ factam; licet per vtranque satisfiat præcepto ad hoc, vt faciens non teneatur iterum illam implere, & euitet nouum peccatum, quod incurreret, si non impleisset illam saltem peccando.

77 Quinquagesimum corollarium, quòd non abs re summo Pontifici dum consecratur, quidam ob oculos proponit parum stupe incensæ in summitate arundinis eleuatum, clamando. *Beatissime Pater, sic transit gloria mundi.* Neque frustra S. Basilius, quoties pontificalia exercebat sibi recitari imperabat, *Pater sepultura tua non est perfecta, iube perficere eam.* Et merito sacra scriptura adeo frequenter nobis gloriæ appetum dissuadet proponens in primis exemplum gloriosissimi Redem-

demptoris eam parui pendentis, dicens Ioan. 8. *Ego gloriam meam non quero: & clamans per Elaiam cap. 40. Omnis caro fœnum, & gloria eius quasi flos fœni. & per Petrum cap. 1. Omnis homo fœnum & gloria eius flos fœni: & introducens Angelum, qui diuidens bona inter Deum & homines tribuit gloriam Deo, & hominibus pacem.* Et Paulum clamantem ad Corinth. 1. & Galat. 6. Absit gloriari, nisi in cruce D. N. Iesu Christi. Non tamen putemus, vt aliqui male putant, præfata quinque bona honoraria, gloriam nempe, laudem, honorem, famam, & reuerentiam esse de se mala, neque eorum appetitum esse suo genere malum, & nullatenus debere nos appetere illa, neque illis habitis gaudere; hoc enim palam falsum est, vt supra probauimus: sed putemus illa esse quidem meliora, & suo genere pretiosiora, quam bona pecuniaria: & quod iuste possunt appeti vt illa: & quod sicut neutra possunt iuste appeti principaliter propter se tantum, ita vtraque possunt iuste appeti propter Deum, & alios fines bonos & aptos. Quo fit, vt appetitus ordinatus vtrorumque sit bonus, & appetitus inordinatus vtrorumque sit malus. Ratio autem quare sacra scriptura magis videtur nobis dissuadere appetitum horum quinque bonorum honorariorum, quam appetitum bonorum pecuniariorum est, quod natura humana propensior sit ad appetenda illa, eoquod sunt suo genere meliora, quam alia: & ita indiget illorum appetitus maiori freno, ne inordinate appetendo præcipiter in ea. Quæ plane omnia firmiter credentes omnes cuiuscunque ordinis simus, siue summates, siue infimates, siue mediocres frequentissime rulinemus, meditemur, & reputemus omnia præfata bona siue honoraria, siue pecuniaria esse terrena, parua, & caduca; & appetendo & contemnendo ea, vt recta ratio dictauerit, sic transeamus per illa, vt non amittamus æterna. Amen.

SEXTA CONCLUSIO.

SUMMARIUM.

- 1 Detrahere, siue murmare peccatum est mortale.
- 1 Bonum fama bonis pecuniarijs præstat.
- 1 Murmurator, siue detractor est odibilis Deo.
- 1 Detractor, siue murmurator similis serpenti clam mordenti.
- 2 Detractor etiam sibi nocet fidem, & bonorum consuetudinem perdens.
- 2 Murmurator vt in puluerem sufflans cur magis cæatur.
- 2 Detractor cur homicida, & erucifixore Christi peior.
- 2 Silentium vt seruat regulas religionum.
- 3 Detractionis, siue murmurationis definitio expensa.
- 4 Murmuratio, siue detractio, & contumelia vt differunt.

Contu-

- 4 Contumelia, & detractio vt duo peccata.
- 4 Fama à Calistrato definita vt parum seruiat proposito.
- 4 Fame quoad propositum definitio nouè perpensa.
- 5 Fame duplex, qua putatur bonus, & qua utilis.
- 5 Bona quinque honorabilia quoad quid æquantur.
- 5 Fame, & quinque bonorum honorabilium damnum duplex.
- 5 Damnum boni honorabilis, & pecuniarij quid.
- 6 Detractio, siue murmuratio varie diuiditur.
- 6 Murmuratio, siue detractio formalis, materialis, & mixta.
- 6 Mendacium formale, materiale, & mixtum.
- 6 Detractio, siue murmuratio multiplex fit.
- 6 Laudare parum vt peius, quàm multum vituperare.
- 7 Detractio suo genere mortalis, & quæ venialis.
- 7 Detractio, vel murmuratio quæ mortalis.
- 8 Detractio, vel murmuratio vt fit malo sine peior.
- 9 Peccandi periculo se exponens vt peccat cum exemplis.
- 9 Peccat cur magis vir quàm mulier cæteris paribus.
- 10 Author cur recusauit videre hermaphroditi verenda.
- 10 Euentus an augeat, vel minuat malitiam peccati.
- 10 Occasio quæ propinqua peccandi vitanda.
- 11 Confessarius vt peccat audiens detrahentem tantum materialiter.
- 12 Detrahens circa mortale vt differt à detrahente circa veniale.
- 13 Detractio contra seipsum regulariter est venialis tantum, & interdum mortalis, etiam facta metu tormentorum, &c.
- 14 Libellum famosum vel chartam alterius peccata continentem diuulgans, vel legens vt peccat.
- 14 Detractorem audiens cum consensu vt plus, vel minus peccat, quàm ipse.
- 14 Facens virtutes alterius quis peccat.
- 15 Index inquirens specialiter sine infamia vt peccat; non autem mandans generaliter nunciari crimina.
- 15 Index, & quiuis alius vt peccat, volens scire à quo, & quando non debet peccata alterius.
- 16 Restitutio fame vt necessaria: & an compensari, & remitti possit: & an remissio generalis omnes includat.
- 16 Restituere famam quis non teneatur.
- 17 Confessarius, & quiuis alius reuelans etiam veniale, scitum mediante confessione peccat.
- 18 Secreti cuius reuelatio est detractio, & peccatum.
- 18 Reuelatio peccati confessi in vno tantum casu licita.
- 19 Litteras alias qui prodit, legit, referat vt peccat.
- 19 Secreta Cinitatum, & exercituum reuelans vt peccat.

Con.

- 19 *Confessio quæ dicatur sacramentalis.*
 19 *Reuelatio delicti secreti correctionem præexigit.*
 20 *Reus quis est ordine iuris rogatus vt verum dicat.*
 20 *Reus regulariter non debet detegere consortes occultos.*
 21 *Iudex vt peccat interrogando, vel omittendo contra iuris ordinem.*
 21 *Peccatum secretum, nisi noceat alij non detegendum.*
 22 *Detrahens sibi quis peccat, & debet restitui, & c.*
 23 *Secreta peccata magna cum cautela reuelanda.*
 23 *Renunciare non debet quis quod nequit probare.*
 24 *Secretum vergens in alterius damnum vt celandum.*

I



EXTRA conclusio principalis ex hoc textu supra decerpta est, quod detrahere, siue murmurare, (quæ pro eodem accipimus) est peccatum mortiferum. colligitur autem ex illis verbis, *Quid aliud detrahentes faciunt, & c.* & fulcitur aliis firmissimis iisdemque verissimis fundamentis. Primum quod detrahere & murmurare iuxta sententiam S. Thomæ 2. 2. q. 173.

art. 1. quam omnes sequuntur, est proximi famam iniuste auferre, vel ledere. At bona fama pretiosior est bonis pecuniariis per supradicta: & palam est mortifere peccare illum, qui alteri aliquod bonum pecuniarium notabile aufert, vel ei in eo notabiliter nocet; nisi ad id eum extrema necessitas cogat per adducta in Manu. confess. cap. 17. num. 118. ergo à fortiori peccabit, qui alienam famam aufert, vel notabiliter ledit. Fulcitur & illo Pauli ad Romanos cap. 1. *Detractores Deo odibiles.* & illo Davidis Psal. 100. *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequerbar.* & illo Salomonis Proverb. 19. *Abominatio est hominis detractio.* & illo eiusdem Eccles. 10. *Si mordeat serpens in silentio nihil in eo minus habet, qui occulte detrahit.* & illo Pij Papæ in cap. nihil prodest. de consecrat. distin. 5. *Nihil prodest homini ieiunare, orare, & alia religionis bona agere; nisi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus lingua cobibeatur.*

Quod non esset verum, nisi obtrectatio esset peccatum letale; cum solum illud efficiat, vt nostra opera nihil prosint ad gratiam, & gloriam: de quo profecto Pius ibi loquitur; quippe certum est illa ad alia multa prodesse, esto fiant in statu mortiferi peccati. Facit item, etsi non omnino concludat, quod detractio, etiam ipsi detractori nocet: nam præterquam quod, vt Hesiodus inquit, maledicentem peius auditorum: & quod vt quidam Sapiens ait *Obtrectator quoniam odio duci videtur, fide caret.* priuat bonorum consuetudine, secundum illud dictum quod Sanctus Augustinus iuxta mensam suam, referente Possidonio & referuntur à gloss. cap. conuiuia. 44. distin. scriptum habebat.

Quisquis amat dictis absentem rodere vitam,

Hanc

Hanc mensam vetitum nouerit esse sibi.


Insuper obtrectator sua obtrectatione obæcatur, iuxta S. Gregoriū, qui in hoc ipso cap. eum comparat in puluerem sufflanti: quoniam sicut ille, quo magis sufflat, eo magis cæcatur, sic detractor quo magis detrahit, eo minus veritatem videt. Cuius rei rationem inquit esse S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 3. ad 4. quod vt Salomon ait, *Latatur homo in sententijs oris sui.* quæ quidem delectatio facit, vt magis credat quod dicit; & consequenter minus veritatem videat: & ita plus cæcutiat.

Prætermittis autem aliis multis, quibus magis vulgo quàm clero, sermone Hispano scribendo præfatam conclusionem confirmauimus: nunc scribendo latine, clero sufficiat addere quod detractores comparantur illis, qui Christum crucifixerunt: etenim gloss. super illis verbis *Pro eo vt me diligere, detrahebant mihi.* inquit, *Plus nocent in membris detrahentes Christo, quia animas crediturorum occidunt, quàm qui eius carnem mox resurrecturum peremerunt.* Offert se quoque illud S. Ioannis 1. cap. 3. ab Alexandro cap. summa. 6. q. 1. laudatum, *Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est.* & illud Sancti Clementis aientis, Petrus docuisse homicidiorum tria esse genera, cædem, detractioem, & odiū. quæ quo modo sunt intelligenda diximus in cap. homicidiorum. de pæniten. distin. 1.

Denique addimus detestabilem, funestamque teterrimi huius vitij pestem in causa fuisse, ob quam tanti fiant, totiesque præcipiantur bona silentia in omni religione, vt locupletissimus testis est Ioannes Gerson; qui addit omnes religiones, præsertim monialium, quæ cum sint mulieres magna ex parte sunt loquaces, studiose debent attendere in illis solum religionibus perfecte obseruari regula, in qua silentium seruatur.

Detractio quid.

3



TRACTIO autem quid sit definiuimus in Manuali Confess. cap. 18. num. 17. in hæc verba: *Detractio, siue murmuratio, vel infamatio, quæ pro eadem re hic sumuntur, definiri potest esse significatio alicuius mali cuiuspiam hominis non canonizati inordinata, expressa siue directa, & tacita siue indirecta, qua leditur vel periclitatur eius fama vel gloria.* Dixi, significatio, pro genere in quo conuenit cum mendacio, & cū omnibus aliis verborum peccatis, quæ sunt sextuplicia, vt tradimus in dicto Man. num. 2. dixi, alicuius mali, ad comprehendendum omne malum culpæ, pænæ, & defectus naturæ, & etiam diminutionem boni. Dixi, cuiuspiam, & non alterius, per statim dicenda. Dixi hominis non

canoni.

canonizati: quia infamatio famæ, & gloriæ Dei, angelorum, & sanctorum, immo & creaturæ irrationalis, quatenus est creatura Dei, quæ ad eius naturam non est detractio, sed blasphemia; siue id fiat ad inhonorandum, siue infamandum, siue iocandum, & deridendum secundum mentem S. Thomæ 2. 2. q. 73. art. 3 & q. 13. art. 1. licet Angeli & canonizati nostri proximi sint iuxta S. Augustinum de doctr. Christiana relatum à S. Thoma 2. 2. q. 25. art. 10. Dixi, inordinata: quia non est mala, imo bona significatio iuridica, ut dicit S. Antoninus 2. par. tit. 8. cap. 4. in princ. Dixi, expressa siue directa, ad includendam illam qua directe significatur malum aliquod. Dixi, tacita vel indirecta, ad includendam illam, qua dicendo bonum significatur malum: qualis est illa qua quis dicendo, quod monachus est robustus, rubicundus, pinguis, artis venandi, & equitandi valde peritus, significat tacite, quod carni magis quam spiritui feruit. Dixi, læditur, & non tollitur, ad includendam læsionem partis famæ. Dixi, aut periclitatur, ad includendam significationem mali, qua non læditur fama; sed est causa sufficiens lædendi ex parte detrahentis: ut cum significatur malum alicui non credenti illud propter suam virtutem, vel vilitatem dicentis, vel auctoritatem fide dignioris ei contradicentis. Dixi, famæ vel gloriæ, & non addidi honoris: quia significatio mali quatenus tollit honorem, non est detractio, sed contumelia: non dixi tamen ut Sancti Thomas, & Antoninus, & communis verbum aliena: quia non solum est detractor, qui alium sed etiã qui se ipsum infamat, ut idem S. Antoninus dixit 3. par. tit. 8. cap. 4. §. 1. vers. primo modo. & sentit Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. dicentes, peccare eos, qui se ipsos infamant; quamvis metu tormetorum id faciant, quod

4 infra temperabitur. Non dixi etiam, clam, siue secreto; licet enim detractio, & murmuratio ut plurimum fiant absentibus, interdum tamen fiunt presentibus: nam si quis infamandi gratia alteri presenti male dicit; quamvis contumeliam committat, quatenus eum inhonorat, quatenus tamen eius famam lædere intendit, detractioem admittit, ut S. Antoninus ait. pro quo facit illud Aristot. qui furatur ut adulteretur per se loquendo magis adulter est, quam fur. Ex quo inferitur, quod si quis alterum presentem appellat concubinarium animo inhonorandi, & etiam infamandi, duplex peccatum admittit, scilicet contumeliæ, & detractioem.

Quoniam autem detractio siue murmuratio est læsio famæ, oportet scire quid sit fama; & quidem eam definit Calistratus, ut diximus supra conclus. 4. num. 6. esse dignitatis illæ status legibus, ac moribus approbatus, & in nullo diminutus; ut addidit glossa celebris: & licet illa definitio sit Iurisconsulti, & bona quoad propositum eius, accipiendum tantum pro sola bona & integra fama morum; non tamen est satis congrua, accipiendum famam generaliter pro fama bona, ut in proposito, accipitur

cipitur non solum morum, sed aliorum quorumcunque bonorum, tam naturaliter à Deo inditorum, quam humanitus quæditorum, quam super naturaliter infusorum: quæ sic accepta potest definiri eo modo, quæ etiam reperimus in Manuali Confess. cap. 18. num. 19. scilicet esse existimatio bona de aliquo, qua putatur bonus, vel habilis in aliquem bonum usum. Dixi, existimatio, pro genere: ut non solum comprehendat opinionem communem, sed etiam particularem, & singularem vnius vel alterius, per infra dicenda. Dixi, qua putatur, ad includendam existimationem, qua quis putatur habere aliquod bonum, quod non habet; vel non tantum quantum putatur habere. Dixi bonus, propter existimationem qua putatur habere virtutes theologales, vel morales. Dixi vel habilis, &c. ad includendam existimationem, qua quis putatur habere prudentiam, & alias virtutes intellectuales, & literas, artes, sagacitatem, industriad, habitudinem, vires, vel alias dotes animi, vel corporis inditas, vel quæstas. Vnde sequitur, quod fama est duplex, altera, qua quis putatur esse bonus moraliter: altera, qua putatur utilis ad aliquem finem.

5 Quamvis autem præfata quinque honorabilia differant inter se, quo ad alia; ut traditur sup. conclus. 4. num. 4. quo ad materiam tamen prænitendi & confitendi parum differunt: & ideo quicquid hic de lædente famam dicitur, intelligi potest de lædente alia. Famæ vero & aliorum quatuor bonorum honorabilium damnum est duplex, leue & notabile: leue est quod non est notabile. Notabile autem damnum, quod est causa, ut infamato aliquod bonum notabile animæ, corporis, vel pecuniarium auferatur, aut putetur tali bono indignus; quod aperte sentit Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. quamvis non ita explicet. Bonum autem notabile animæ, corporis, aut honoris dicitur, quod viro prudenti & bono tale videbitur, consideratis circumstantiis personæ, loci, temporis, & aliis. arg. l. 1. ff. de iure deliberandi. & cap. de causis. de offi. deleg. quamvis in d. Manuali Confess. cap. 17. num. 3. nisi fuerimus determinare quantitatem, damni notabilis pecuniarij.

Detractio Quotuplex.

6 **D**ETRACTIO autem siue murmuratio diuiditur primo in sextuplicem secund. Alex. Alen. 2. par. q. 146. membro 1. sub fin. & S. Thom. 2. 2. q. 73. ad 3. & in triplicem secund. Scotum in 4. lib. senten. dist. 15. q. 4. sed breuius dici potest esse duplex, scilicet significatio mali falsi, & mali veri secreti. Secundo diuidi potest in triplicem, scilicet formalem tantum, materialem tantum, formalem & materialem simul. Formalis tantum est illa,

est illa, quæ fit animo infamandi, & non infamat. Materialis tantum est, quæ infamat sine animo infamandi. Materialis & formalis simul est illa, quæ fit animo infamandi, & infamat: sicut in simili dicimus de mendacio in dict. Manuali Confessar. cap. 18. num. 3. quod mendacium formale est dicere verum, intendens dicere falsum, & materiale tantum est dicere falsum, intendens dicere verum; formale vero & materiale simul est intendere dicere falsum, & dicere falsum, vt colligitur ex cap. homines, & cap. primum. 22. q. 2.

Tertio, quod detractio diuidi potest in duplicem, quarum altera fit verbis: altera factis, & aliis signis: quia detractio, seu murmuratio nis peccatum non solum admittitur verbis, sed etiam factis audiendo, tacendo, & faciendo alia signa æquipollentia verbis sublannando ridendo, iuxta illud Persij Satyra 1.

O Iane à tergo quem nulla siconia pinxit,

Nec manus auriculas imitata est nobilis albas.

Per quæ aliquem significamus esse despicibilem: nã & detractor est, qui tacendo minuit bonum, vel auget malum; significando esse plus vel minus: & qui laudat frigide, vt merito audientes arbitrentur nihil amplius laude dignum in eo esse, credentes quod cum sit amicus, eoquod eum laudat minime racuisset, si plura ad eum laudandum sciuisset, iuxta illud Phauorini apud Aulum Gellium laudatum, *Turpius est frigide ac exigue laudare, quam insectanter & grauiter vituperare; hoc enim non creditur tanquam dictum inimici, illud vero creditur tanquam testimonium amici.*

7 Quarto, quod detractio etiam diuiditur in duplicem; quarum altera est mortalis, & altera venialis; nã quælibet detractio suo genere est peccatum mortale: quia longe maius bonum est talis fama, quam pecunia, Prouer. 22. & Ecclesiast. 41. & læsio pecuniæ, qualis est furtum, est suo genere mortale, vt dictum est in d. Manuali Cōfess. cap. 1. num. 2. & seq. ergo & detractio. Dixi, famæ morum: quia secus est de detractioe famæ aliorum donorum, vt infra dicetur. Est autem mortale quoties fit animo famam proximi notabiliter lædendi, aut absque tali animo eam notabiliter lædit, aut dat causam huiusmodi læsionis, aduertens aut aduertere debens probabiliter ex suo dicto, aut facto tale damnum inferri, vel illatum iri. Veniale tantum est quoties fit animo lædendi parum, aut sine malo animo parum nocet, aut notabiliter, sed ignoranter, vel sciens, sed inaduertenter; & non esset obligatus aduertere. arg. cap. 2. de constit. §. norandum. 1. q. 4. sub cap. turbatur.

Corollaria.

Corollaria.

8 **X** prædictis intulimus olim in comment. huius cap. sermone Hispano composito corollaria 71. quorum, vel maioris partis eorum medullam in summam redactam adiecimus Manuali Confess. in loco ei opportuno, scilicet in cap. 18. quæ tractat de octauo præcepto Decalogi prohibente falsum testimonium, adiectis nonnullis declarationibus: & ideo pauca eorum hic tractabo; quorum primum fuerit, quod peccant primo omnes, qui proferunt mala alicuius, vel audiunt, aut non reiiciunt ea eo animo, vt is cuius mala proferuntur, infametur, & sequitur infamia: quia detractioem formalem, & materialem committunt; immo etiã si nõ sequatur infamia, quia detractioem formalem committunt: immo etiam si ea quæ proferuntur non sunt mala, sed de se bona, vel indifferentia: quia finis, in quem id faciunt, est peccatum, scilicet infamatio eius, & cuius finis malus est, ipsum quoque malum est; vt diximus sup. conclus. 4. nu. 6. si vero id faciunt sine animo infamandi, & non sequitur infamia, non peccant peccatum detractiois: quia nullam detractioem committunt.

9 Secundum, quod peccat non solum, qui intendit infamare, vel infamat; sed etiam qui efficit, quo fama tota, vel pro parte notabili periclitetur; licet non perdat. Tum quia definitio detractiois id habet in verbo periclitatur. Tum quia qui exponit se probabili periculo peccandi peccat, licet non subsequatur peccatum, mortiferum quidem, si periculum est mortiferi peccati, & venialiter si periculum est venialis, iuxta regulam Gersonis, 2. part. tit. 1. qui est de regul. moral. quam potuit desumere à S. Thoma quolib. 8. art. 13. pro quibus est illud ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* quod latius explicauimus in cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. num. 4. per quod probatur peccare illum qui reliquit puteum apertum, in quem probabiliter credebatur casurus proximus, vel aliquod animal eius, licet non cadat, & qui sciens bouem suum esse cornupetam, & credens probabiliter, quod cornupeteret, non custodit, ne cornupetat, licet non cornupetet. Tum quia S. Antoninus 2. part. tit. 5. cap. 1. §. 7. damnat quosdam viros spirituales, qui causa experiundi, an satis mortificati sint carne, faciunt exhiberi coram se fœminas impudicas prorsus nudas acriter intuendas: quia periculo peccandi se exponebant, licet forte non peccarent eas videndo. Tum quia nos quoque respondimus, peccare illas fœminas, quæ visæ sibi spirituales viros omnino nudos intuitæ fuerunt, vel intueri deliberauerunt, licet postea intuendo non peccassent, cum tanta imo maior sit ratio in muliere, quam in viro; cum vir maiore virtute sit ad

P 2

refi-

resistendum, quàm mulier, iuxta illud August. relati in cap. ult. 32. q. 6
*Gravius puniri oportet viros: quia magis pertinet ad eos & ratione vince-
 re, & regere feminas.* Tum quia etiam aliquando respondimus, pec-
 catum esse, quòd ob recreationem animi accederent mulieres ad litus
 maris, vel ripas fluminis, vt viros natantes nudos spectent. quod nos
 alicubi fieri vidimus; reprehendendosque iure optimo esse illos, qui
 cum sint vnus sexus volunt videre alios alterius sexus; dum se lauât,
 denudant, cubant vel dormiunt, etiam si non sequatur peccatum. quòd
 10 etiam aliquando iter facientes per Castellam rogati vt videremus mo-
 nachum hermaphroditum, qui celebrabat, an iuste id facere posset, re-
 misit rogantes ad medicos, qui iudicaret vter sexus in eo praualeret,
 & eo vteretur iuxta l. quæritur. ff. de statu hominum. quamuis putarem
 non peccasse illum sacerdotem, qui præfata de causa illius verenda vi-
 didisset, putans id sibi licere si videndo non peccauit. Tum quia boni-
 tas, vel malitia operum non pendet ex euentu bono vel malo futuro, vt
 tradit S. Thomas 1. 2. q. 20. art. 5. non enim est mala eleemosyna facta
 pauperi, licet ea ille abutatur: neque est bona iniuria alicui illata, licet
 eâ passus patienter ferat, vt idē S. Thom. eod. loco decidit; neq. est verū
 illud Ouidii epistola 1. *Exitus acta probat.* Nam & ipsemet illi adiecit.

Careat successibus opto

Quis quis ab euentu facta notanda putat.

Nam & felicem exitum habuit venditio Patriarchæ Ioseph Genes.
 cap. 37. à fratribus facta Eunucho Pharaonis; sed non ideo à peccato
 illi excusati fuerunt. Itaque vt detractio sit mala satis est, vt sit talis
 quæ iudicio prudentum sit paritura infamiam, licet non pariat:
 vnde & occasio propinqua peccandi necessario vitanda est, vt tra-
 dimus in d. Manual. Confess. cap. 14. num. 32. & quæ dicatur talis ibi-
 dem, & in cap. 3. num. 12. licet non remota, vt ibidem probatur.

11 Tertium corollarium, quòd peccant Confessarii percontantes à pe-
 nitentibus, qui se detraxisse confitentur, an id fecerint lædendi animo;
 & respondentibus illis, quòd non, dicunt progredi mini vterius hoc
 enim non est plus quàm veniale: Quoniam si notabiliter famam lædit,
 letale peccatum committit; quamuis id non faciat lædendi animo; si ve-
 rissimile erat eam per suam detractionem notabiliter lædendam; sicut &
 qui vulnerat notabiliter hominem, licet non percutiat animo notabili-
 ter vulnerandi letabiliter peccat, si percutit; ita quod debet credere no-
 tabile vulnus secutum iri, etiam si non fuisset secutum, per proxime
 dicta.

12 Quartum, quòd regulariter peccat mortaliter, qui falsum morale &
 mortale imponit, & venialiter, qui veniale falsum, nisi per circumstan-
 tias actus impositio venialis fiat mortifera; & cōtra impositio mortalis
 efficiatur venialis, vt latius tradimus in prædicto Manuali ca. 18. nu. 24
 & 25.

& 25. & idem fero dicendum est de detegente mortale verum vel
 veniale secretum alterius, vt declaratur ibidē nu. 26. & additur nu. 27,
 quòd detectio mali proprii veri secreti regulariter non est mortalis.

13 Quintum corollarium quòd regulariter qui falsa crimina metu tor-
 mentorum sibi imponunt etiam inordinate non peccant mortaliter.
 Tum quia prodigalitas bonorum regulariter est venialis, vt diximus
 post S. Thomam & communem in d. Manual. cap. 23. num. 70. Tum
 quia non peccant, etiam si ea sponte imponant, vt proxime dictum est:
 quæ tamē limitanda sunt in quatuor casibus; videlicet quando ex ipsius
 infamia damnum notabile animæ, aut vitæ propriæ, vel alienæ, aut
 honoris, aut bonorum alienorum sequitur. per quod opiniones con-
 trarias Adriani, & Caietan. conciliauimus hic, & referimus in d. cap.
 18. num. 28. & 29. Dixi, ordinate: quia qui iuridice id facit, nō peccat;
 vt qui iuste accusat, imo meretur aliis circumstantiis in id necessariis cō-
 currentibus, vt post S. Antoninum, Adrianum, & alios probauimus
 hic & referimus ibi. nu. 30.

14 Sextum, quòd peccat mortifere qui schedam, in qua quispiam alius
 sua peccata scripsit, diuulgat; imo & qui legit eam sciens ea in illa con-
 tineri, vt declaratur vbi supra num. 34. idemque facit qui libellum fa-
 mosum peruulgat, vt declaratur ibidem. nu. 35.

Septimum, quòd etiam peccat mortaliter, qui peccata aliena audita,
 vera, vel falsa refert aliis augendo ea notabiliter, vt probauimus hic, &
 retulimus ibidem num. 36.

Octauum corollarium, quòd peccat etiam audiens cum consensu
 detractorem, interdum plus, interdum minus, quàm ille; nisi cum re-
 sistit expresse vel tacite; ita saltem, vt notabiliter non infametur is cui
 detrahitur, vt declaratur ibidem nu. 37.

Nonum, quòd peccat qui rogatus de vita & moribus alicuius, vel
 aliàs cum teneretur ad notificandas virtutes illius tacet eas, cum eius
 notabili damno boni quæsit, vel quærendi per supradicta in hac con-
 clus. num. 6. in tertia detractionis diuisione.

15 Decimum, quòd peccat grauiter iudex procedens, sine infamia pre-
 uia per viam inquisitionis specialis de his, quæ non sunt notoria: quæ-
 nis non peccet qui id facit per viam accusationis, vel denuntiationis,
 vt declarauimus ibidem num. 38. & melius in rubr. de iudicijs à num.
 77. Idem de iudice, qui interrogat rem post confessum delictum de so-
 cio, aut auxilium præbente, si adhuc erat occultus eadem ratione.
 Quod autem episcopus promissor, & Vicarius generalis eius possunt
 iubere generaliter, vt qui sciunt illa vel illa delicta denuncient eis illa,
 defendimus hic, & vbi sup. nu. 40.

Vndecimum corollarium, quòd peccat quiuis Prælatus, & Index,
 imo & priuatus, qui procurat, aut vult noscere peccata secreta alicuius,
 à quo,

à quo, quando, cur, & vbi non debet: aut qui compellit carcere detentum ad statim iurandum se dicturum verum in omnibus, de quibus interrogatus fuerit, & interrogat particulariter de omnibus, & singulis casus partibus, ob quem carcere detinetur, ratione supradicta cum declaratione de qua ibidem nu. 41.

16 Duodecimum, quod detractor vel infamator lædens famam proximi notabiliter non solum peccat; sed etiam tenetur ad restituendum, ut hic probauimus, & ibi repetiuimus à num. 42. cum declarationibus quibusdam vtilibus, & cum defensione opinionis, quæ habet debitum restituendi famam remitti posse, nisi quatuor casibus tactis super corollario 5. & quod per compensationem non videtur restitui fama: & quod infamatus conuersando amabiliter cum detractante videtur remittere iniuriam, sed non obligationem restituendi famam, & quod condonatio generalis omnium detractionum includit omnes, ad quas verisimilis intentio condonantis se extendit: & an obliuio integra infamæ inducat remissionem restitutionis, ibidem num. 47. & qualis detractor non tenetur restituere famam. & ob quas causas ab ea restituenda excusetur ibidem nu. 48. vbi num. 50. additur, an præcedens dignitate excusetur à restituendo famam cuiuspiam infamatis, si ob restitutionem sua pretiosa fama periret.

17 Decimum tertium, quod grauissime peccat Cōfessor, vel quiuis alius qui detegit aliquod peccatum quod iuste aut iniuste medio confessionis sacramentalis didicit (quamuis sit veniale) absque facultate iusta de causa à penitente facta: & consequenter etiam interpret confitentis lingua confessario ignota, & laicus cui aliquis in extrema necessitate confitetur; & doctor à quo consilium de confessis petitur; & qui se confessarium finxit, quo alicuius peccata nosceret, etiam si tormentis adactus, & quamlibet maximo metu mortis id fecerit: Quia omnes isti obligantur ad sabeundum potius mille mortes, quam id facere. ibidem num. 51.

18 Decimum quartum, quod etiam detractor dici potest, qui reuelat etiam alia secreta extra sacramentalem confessionem scita, siue materia suapte natura requireret obseruantiam secreti, siue expresse vel tacite fuerit illa promissa: & quod dicitur tale, si reuelatio eius vergit in damnum notabile bonorum animæ, salutis alienæ vel propriæ, & honoris, vel rei familiaris alienæ; & quibus legibus vetatur secreti reuelatio: & quod regulariter non est mortalis, cum sit de re parui momenti, &c. & quod reuelatio peccati, etiam venialis per sacramentalem confessionem cogniti non est licita nisi in vno casu tantum, scilicet de licentia confessi iusta de causa facta ibidem nu. 52.

19 Decimum quintum, quod etiam peccat mortaliter qui reserat, aut legit litteras obseratas, aut scripturas alienas, quæ in secreto obseruan-

ban

batur animo lædendi aliquem notabiliter, vel lædendo, aut aduertens, vel aduertere debens, quod inde posset notabile damnum sequi per prædicta in d. Manual. Cōfess. cap. 18. nu. 2. nisi ex consensu expresse aut tacito eius, à quo, vel cui mittuntur & aliis casibus tactis vbi supra nu. 53.

Decimum sextum, quod etiam peccat, qui secrete in iniustam aliorum perniciem non vergentia ciuitatis, Concilij, aut exercitus ad eorum magnum damnum reuelat; etiam si metu tormentorum, aut amissionis vitæ id faciat per prædicta, cum declaratione adiecta vbi supra nu. 54. & quæ confessio dicatur sacramentalis, ad hoc ut inducat præfatam obligationem secreti ibidem num. 55. & quod reuelatio delicti occulti, etiã alteri perniciosi non est licita regulariter, nisi fraterna correctione præmissa, &c. nu. 56.

20 Decimum septimum corollarium, quod etiam peccat reus, qui secundum iuris ordinem interrogatus sua delicta secreta grauiora non confitetur: & contra, qui confitetur illa contra iuris ordinem interrogatus, secundum mentem omnium. Dicitur autem interrogatus secundum iuris ordinem semper, & solum quando tria concurrunt. Primum, quod iudex interrogans sit comperens. Secundum, quod delictum sit probatum plene, vel saltem semiplene; hoc est saltem per vnum testem omni exceptione maiorem, vel per iudicia illi æquipollentia, vel per infamiam plene probatam. Tertium, quod sit notificata illi probatio huiusmodi, ut sciat in quo statu est, ut colligitur ex S. Thoma, 2. 2. q. 69. art. 1. & 2. & aliis, ut ibi habetur. nu. 57.

Decimum octauum, quod etiam peccat, qui reus consortes suos occultos detegit in casibus in quibus non debet; regulariter autem non debet, nisi solum in casibus expressis, ut notat in cap. 1. de confess. cum quadam vtili, & pulchra declaratione ibidem nu. 58.

21 Decimum nonum, quod peccat iudex, qui interrogat reum de seipso, vel de consortibus suis præter iuris ordinem; quia iniuste dat causam notabilis infamæ proximi, dum extra potestatem suam inquit contra l. fin. ff. de iurisdic. omnium iudicum. & cap. 2. de constitut. lib. 6. Idem si contra, omittit interrogare cum debet secundum eundem iuris ordinem; quia præiudicat notabiliter reipub. &c. quæ ibi vtiliter adiiciuntur. nu. 59.

Vigesimum, quod etiam peccat, qui peccatum sibi secretum communicatum, quod non vergit in graue damnum alterius, etiam iudice competenti præcipiente reuelat, secundum S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 2. Immo etiam, quando vergit in damnum alterius, si alia via potest illud excusari: quin & quando alia via excusari non potest, id solum est detegendum, quod remedio est necessarium, cum contrariæ opinionis declaratione, ibidem. 60.

22 Vigessimimum primum, quod etiam peccat Episcopus, aut alius Præla-

tus.

tus, aut publica persona ad aliorum salutem providendum constituta, quæ seipsum infamat, aut se notabiliter infamantibus non resistit, aut modestè suæ famæ restitutionem non petit, secundum S. Thom. quolib. 10. art. 1. & qui religiosi simplices ad id teneantur, & qui non, ibidem resolute dicitur, nu. 61.

23 Vigesimalium secundum corollarium, quod etiam peccat, qui interrogatus iuridice in visitationibus de peccatis publicis, aut satis generaliter de peccatis, nulla expressione facta de occultis, aut iniuste facta expressione de illis, reuelat occulta siue ipsa fuerint secreta detecta, siue ipse viderit ea in secreto fieri, si non erant preparationes ad alios nocendum, aut si denunciat quæ probare non potest, iuxta illud Proverbi. 11. *Qui ambulat fraudulenter reuelat amici commissum.* relatum in cap. qui ambulat. 5. quæst. 5. S. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. & qui iurat se dicturum, quod scit vere respondere potest se illa nescire. absque periurii metu, intelligendo intrasse illud se non ita scire, ut detegere teneatur Henrich. de Gandauo quolib. 9. in princip. Adriani 4. de correct. frater. §. ostensis. col. 6. cum confutatione contrariæ opinionis, ibidem. nu. 61. quam nuper latius, quam alibi egimus in cap. humane aures. 22. q. 5.


24 Vigesimalium tertium, quod etiam peccat, qui secretum sibi commissum divulgat aduertens, aut advertere debens inde secuturum alterius notabile damnum, aut notabilem discordiam, licet non sit expresse rogatus nec promiserit secretum; etiam si erat tale, quod prima facie eius detectio non videtur nocitura; rogatus tamen eius secretum promisit, & poterat subesse aliqua ratio ob quam illud roganti notabiliter conveniebat celari: quamvis solum sit venialis detectio secreti, quam constat nemini notabiliter nocituram, ut recte Caietan. 2. 2. q. 70. art. 1. resoluit, & reperitur ubi supra nu. 62.

F I N I S.

INDEX CONTENTORVM IN HOCCE COMMENTARIO,

Cuius primo numero conclusio, secundo summarij numerus designatur.

A



CITIO displicuit, passio grata fuit. concl. 1. num. 5.
Actus omnis defectu circumstantiæ fit malus. prælud. 2. num. 7.
Actus omnis inordinatus malus. 5. 15.
Actus non est bonus, qui in aptum finem non refertur. 5. num. 36.
Actus plurimi qui non omnino probandi, & reprobandi. 5. num. 42.

Actus etiam suo genere bonus factus in finem querendi aliquod bonum honorabile, non referendo illud in altiore finem, est malus. 5. 44.
Actus omnis inordinatus peccatum irreferibile in bonum finem. 5. 44.
Actus ut sit bonus sufficit unus bonus finis. 5. 46.
Alphonsus Castrensium laudatus. præl. 2. nu. 8.
Ambrosius optavit haberi parum honestus. 2. 2.
Amare plus debet se, quam alios; at minus alijs nocere. 2. 7.
Amare se potius, quam proximum quisq; tenetur. 5. 45.
Ambitio torquens omnes omnibus placet, &c. 5. 70.
Amor laudis qui bonus, & qui malus. 5. 5. & 8.
Amor gloriæ parit timorem infamiæ. 5. 6.
Appetitus laudis qui bonus & qui malus. 5. 8.
Appellatio quomodo sententiæ recisio. 4. 28.
Appetitus cuiusque honorabilis vani semper peccatum, sed solum tribus casibus mortiferum. 5. 53.
Appetitus bonorum quinque honorariorum esse nobis continuum hostem. concl. 5. 70.
Augustinus & Anselmus peccata prodiderunt. 2. 2.
Augustinus cur carpat Tullium ad gloriam incitantem. 5. 8.
Author cur recusavit videre hermaphroditi verenda. 6. 10.

2

Bapti.

I N D E X

B

- B**aptizatur qui ob veniam pœnæ principaliter peccati. *conclus. 5. num. 14.*
 Beatitudo celestis ut dicitur ultimus finis. 5. 37.
 S. Benedictus cur à scholis scienter nescius recessit. 1. 14.
 Beneficium ob aliquod seruire licet minus principaliter. 5. 24.
 Beneficia petens in concursu, & fauens illi qui peccat. 1. 13.
 Bigamia ex corrupta nascens ignorantia an noceat nuptæ. 1. 22.
 Bonum, & malum suo genere quid. *præl. 2. nu. 5.*
 Bonum an sit vllum, quod nulla circumstantia fiat malum. *prælud. 2. numero 6.*
 Bonum naturale supernaturali minus, eique subiiciendum. 4. 8.
 Bonum nullum pecuniæ, vel honoris est finis principalis boni actus *conclus. 5. 12. & seq.*
 Bonum non est dare, facere, bene viuere ob victum vel pudorem principaliter, sed sic minus principaliter. 5. 14. & 35.
 Bonum est seruire Deo, vel Ecclesiæ minus principaliter ob temporalia. *concl. 5. num. 23.*
 Bonum, quod nequit sciri natura, non est per eam quarendum. 5. 45.
 Bonum fama bonis pecuniarijs præstat. 6. 1.
 Bonum honorabile solum est vtile, & ob aliud appetibile: & ita potest peti, & quæri ut bonum pecuniarium. 5. 48.
 Boni honorabilis appetitus per se nec bonus, nec malus; est enim bonus tribus concurrentibus. *nu. 51. alijs vanus. 5. 52.*
 Bona ut veniant non facienda mala. 2. 6. & 9.
 Bona honoraria quinque, scilicet laus, honor, & c. & sic differunt. *nu. 4. & sic conueniunt. 4. 17.*
 Bona nostra ut nostra, minora nostris ut diuinis. 4. 8.
 Bona honoraria non sunt virtutes, nec per se amanda. 4. 17.
 Bona honoraria ob aliud tantum amanda. 4. 18.
 Bona quæ ob se tantum, quæ ob aliud, quæ ob se, & aliud amanda. 4. 18.
 Bona honoraria pretiosiora pecuniarijs. 4. 19.
 Bona honoraria inferiora bonis vitæ, & salutis. 4. 20.
 Bona honoraria cur dicantur exteriora. 4. 27.
 Bona quinque honoraria licet appetere, & amare. 5. 1.
 Bona honoraria contemni, & appeti possunt. 5. 2.
 Bona in opera incitare brauijs ut bonum. 5. 17.
 Bona honoraria, vel temporalia promittere sacra suscipienti, vel facienti, litteras dicenti, & docenti, concionanti, & psalenti, an bonum. 5. 20.
 Bona temporalia pecuniaria, & honoraria precari, petere & quæere an bonum. *concl. 5. 18.*

Bona

I N D E X

- Bona honorabilia in quinque fines bene appetibilia. *concl. 5. num. 45.*
 Bona propria licet cognoscere eo modo, quo cognosci possunt. 5. 49.
 Bona ut iubet Christus fieri ut videantur, & non videantur. 5. 57.
 Bona tantum facienda in gloriam Dei, ut intelligendum. 5. 57.
 Bona suo genere per amorem laudis quoad gratiam perdi. 5. 71.
 Bona honoraria per eque, ac pecuniaria appeti, & contemni iuste posse. *conclus. 5. 77.*
 Bona quinque honorabilia quoad quid equantur. 6. 5.
 Bonorum externorum maximum honor. 4. 19.
 Bonorum honorariorum dominus etiam priuatus homo. 4. 20.
 Bonorum honorariorum restitutio quomodo fit. 4. 26.
 Brauia certantibus cur præstituta. 5. 4.

C

- C**athedras conferendi modus Salmanticensis cur mutandus. 1. 15.
 Cathedrarum prouisio per suffragia scholasticorum cur periculosa. *conclus. 1. 16.*
 Catonem gloriam fugientem ea sequebatur. 5. 7.
 Christus non pertulit omnes iniurias. 2. 17.
 Christus ut homo orat se ipsum ut Deus. 3. 9.
 Competens beneficium, vel alia officia ut varie peccat. 1. 13.
 Concordia multorum pro, & contra silentium. *præl. 2. 8.*
 Concubine qualis excusatio falsa. 2. 14.
 Conuertentes Gymnastæ ut peccant. 1. 13.
 Confessio quæ dicatur sacramentalis. 6. 19.
 Confessarius ut peccat audiens detrahentem tantum materialiter. 6. 11.
 Confessarius, & quiuis alius reuelans etiam veniale scitum mediante confessione peccat. 6. 17.
 Coronæ variæ pro varijs gestis. 5. 4.
 Consulendus quis an sit silendum, an loquendum. *præl. 3. 1.*
 Consulendus qui secundum Deum consulit, & quis ille. *præl. 3. 1.*
 Contemnere quid proprie, & quid large. 5. 56.
 Contraria duo diuerso respectu eidem insunt, sed non eodem. 1. 5.
 Contraria duo diuerso respectu insunt eidem. 5. 74.
 Contraria ut non sunt mereri gratiam, & mereri mortem. 5. 74.
 Contumelia, & detractio ut duo peccata. 6. 4.
 Contraria de vno eodem respectu non dici. 2. 7. & 9.
 Credere de se alijs magis, quam sibi vitium. 1. 7.

Q 2

Dammata

I N D E X

D

Dammum boni honorabilis, & pecuniarij quid concl. 6. num. 5.
 Debet verbum regulariter, sed non semper inducit obligationem. 1. 9.
 Definitio vnius rei vna tantum. 2. 10.
 Definitur sepe aliquid per effectum. 2. 28.
 Denunciare non debet quis, quod nequit probare. 6. 23.
 Detractio, siue murmuratio varie diuiditur. 6. 6.
 Detractio, siue murmuratio multiplex fit. 6. 6.
 Detractio suo genere mortalis, & que venialis. 6. 7.
 Detractio, vel murmuratio qua mortalis. 6. 7.
 Detractio, vel murmuratio vt fit malo sine peior. 6. 8.
 Detractio proprie regulariter est venialis tantum, & interdum mortalis, etiã facta metu tormentorum. 6. 13.
 Detractio in bonis cur permittitur à Deo. 2. 4.
 Detractionis, siue murmurationis definitio expensa. 6. 3.
 Detrahens circa mortale vt differt à detrahente circa veniale. 6. 12.
 Detrahens sibi quis peccat, & debet restitui, & c. 6. 22.
 Detrahentem audiens cum consensu vt plus, vel minus peccat, quam ipse. 6. num. 14.
 Detrahere, siue murmurare peccatum est mortale. 6. 1.
 Detractor, siue murmurator similis serpenti clam mordenti. 6. 1.
 Detractor etiam sibi nocet fidem, & bonorum consuetudinem perdens. 6. num. 2.
 Detractor cur homicida, & crucifixore Christi peior. 6. 2.
 Deus vti est solus dominus vite. 2. 20.
 Deus cur Alpha, & Omega dicitur. 4. 34.

E

Eleazarus noluit mori pro gloria. 4. 21. & 25.
 Eleemosyna data maiori peccatori qua liceat. 5. 36.
 Eleemosyna maior, quia petitur publice, qua mala. 5. 26.
 Episcopus, vel alius vti se ipso maior. 4. 9.
 Euentus an augeat, vel minuat malitiam peccati. 6. 10.
 Excommunicatum alloqui metu mortis cur non est peccatum. prelud. 3. num. 3.
 Excommunicandi potestas diuinitus data, sed modus vitandi excommunicatis humanitus temperatus. prel. 3. 4.

I N D E X

F

Fama, & laus magna quibus noceat. concl. 2. num. 5.
 Fama bona, & bono nomine vt curandum. 2. 8.
 Fama in proposito quid. 4. 6.
 Fama à Calistrato definita vt parum seruiat proposito. 6. 4.
 Fama duplex, qua putatur bonus, & qua utilis. 6. 5.
 Fame definitio Iurisconsulti explicata. 4. 6.
 Fame quoad propositum definitio nouè perpenfa. 6. 5.
 Fame, & quinque bonorum honorabilium damnum duplex. 6. 5.
 Famam negligens quis crudelis. 2. 8. & 10.
 Famam suam multi honesti defenderunt. nu. 8. & cur. 2. 11.
 Famam negligere vno de quinque modis peccatum. 2. 10.
 Femine vno viro contenta qua laurea. 5. 4.
 Fides confitenda non obstante metu mortis. prel. 3. 3.
 Finis vltimus, vel principalis nequit esse vllum bonum honorarium. concl. 5. num. 10.
 Finis duplex, operationis, & operantis; ille potest esse lucrum temporarium; hic vero non principalis. 5. 22.
 Finis minus principalis actus virtutis potest esse bonum temporarium. conclus. 5. 23.
 Finis cognitio iustæ conscientie necessaria. 5. 26.
 Finis definitio, & declaratio. 5. 26.
 Finis vltimus, & medius definiuntur, diuiduntur, & subdiuiduntur. conclus. 5. 27.
 Finis duplex, cuius, & quo. 5. 28.
 Finis duplex operationis, & operantis, & possunt esse idem diuerso respectu; alter est prior executione, alter intentione. 5. 29.
 Finis duplex bonus, & malus. 5. 39.
 Finis principalis alicuius actus virtutis potest esse vita, & salus contra Adrianum. 5. 31.
 Finis malus, quia est culpa, & malus, quia ineptus differunt. conclus. 5. num. 33.
 Finis quinto duplex principalis, & minus princip. & quid illi. 5. 34.
 Finis minus princ. virtutis potest esse honor, vel lucrum. 5. 35.
 Finis principalis operis potest esse aliqua virtus. 5. 37.
 Finis operationis, & operantis vt differunt. 5. 39.
 Finis vnus relatus ad alium fit minus principalis illo. 5. 45.
 Finem vltimum non ponit quis in eo, quo mortaliter peccat. 5. 54.
 Fines qui faciunt actus meliores. 5. 52.
 Fines qui principales omnium bonorum, & qui cuiusque virtutis. 5. 32.

Fama

2 3

Fines

I N D E X

Fines generales apti omni virtuti qui. concl. 5. num. 37.

G

- G**Audeo tuo dicto, licet mentiaris, dicere non licet. 1. 11.
 Gaudere potest quis, & trīstari simul iuste de vna, & eadem re diuerso respectu. 2. 12.
 Gaudens de peccato ob bonum etiam diuinum peccat. 2. 12.
 Gaudendum falso vituperio nobis illato, intelligendo eo modo, quo declaratur. 2. 1.
 Gaudium, & tristitia sunt contraria, & vt insunt eidem. 1. 5.
 Gaudium ex tribus coniunctis causis nascitur. 2. 3.
 Gaudium est pericula mortis euasisse. 2. 4.
 Gaudium de peccato vt differt à gaudio de bono inde nato. 2. 6.
 Gloria res est propria Dei. 1. 3.
 Gloria etiam vnius testimonio constat. numer. 1. & declaratur. conclus. 4. num. 8.
 Gloria quadam filia laudis & honoris. 4. 13.
 Gloria Romanis ethnicis finis vltimus fuit. 4. 24.
 Gloria varie, & stricte accipitur. 4. 28.
 Gloria multis nocuit. 5. 7.
 Gloria vana dux maxima gignit septem, iactantiam, &c. 5. 70.
 Gloriæ varia definitio, & eius declaratio. 4. 3. & 7.
 Gloriæ amor vt parat casum fidei. 5. 6.
 Gloriæ vanæ suspicionem fugere nequeunt Prælati nimium insanientes. conclus. 5. 69.
 Gloriæ inanis amor hostis maximus, insidiosus, secretus, &c. 5. 70.
 Gloriar i in Domino vt intelligendum. 5. 6. & 9.
 Gloriam bonus, & ignauus diuerso tamen respectu quærunt. 5. 3.
 Gloriam ab humili quæri vt intelligendum. 5. 3.
 Gloriam in diuinam omnia facere sex habet intellectus. 5. 61.
 Gradus literalis, & potiora loca vt male petantur. 1. 11.
 Gratiæ multæ ad loquendum gratis datæ. præl. 2. nu. 2.
 Gratiæ magnus fructus relatio actus in Deum. 5. 40.
 Gratiæ scientia non est naturaliter quærenda. 5. 49.
 Gratiam se habere nemo nouit, nisi reuelatione. 3. 2.

H

- H**ispani magis ulta, Galli magis humilia filios docent. 5. 59.
 Honor, & laus vt differunt. 4. 11.
 Honor multa significat. 4. 16.

Honor

I N D E X

- Honor deberi potest vitiosis ob multos ad virtutem respectus. concl. 5. nu. 65.
 Honor non est quærendus à clero ob staturam bonam, &c. 5. 65.
 Honor non potest iuste quæri, nec appeti de nimio rerum sordium, vel splendidarum vsu. 5. 68.
 Honoris appetitus de re inepta sic nobiles, & monachi reforment. conclus. 5. num. 64.
 Honoris definitio etiam auetia. 4. 6.
 Honorem in proprium facere illa, quæ sunt dicata in diuinum principaliter non est mortiferum, licet sit graue veniale. 5. 56.
 Honorem appetentes moniales de varijs rebus vt varie peccant. conclus. 5. num. 66.
 Honorem de sordibus quærentes an peccent. 5. 67.
 Honorato quo respectu debetur honos, & quo laus. 4. 12.
 Humilitas latino, & ethnico non est virtus. 5. 3.

I

- I**Ano excepto rarus à sanna liber. 1. 10.
 Indefinita non semper æquipolet vniuersali. 3. 3.
 Infamantes ordines approbatos excommunicati. 2. 16.
 Infamantes personas ordinum non excommunicati. 2. 16.
 Ignorans necessaria officio suo dimittat illud, aut discat. 1. 18.
 Iniuria personæ redundans in ordinem non ferenda. 2. 16.
 Iniuriæ nobis quare vtilis. 2. 3.
 Iniuriam ferre, vt iniurijs magis fremat malum. 2. 18.
 Iniurijs verbis leso an omnino tacendum. præl. 2. nu. 1.
 Iniurijs pauci de repente bene respondent. 2. 18.
 Iniustitia non omnis mortifera. 5. 55.
 Intellectus l. isti quidem. ff. quod metus causa. nu. 22. & l. in codicillis. §. à matre. 23. & vtriusque nouus. 4. 24.
 Iudex non sit, qui caret animo resistendi magnatibus. 1. 19.
 Iudex inquirens speculiter sine infamia vt peccat, non autem mandans generaliter nunciari crimina. 6. 15.
 Iudex, & quiuis alius vt peccat volens scire à quo, & quando non debet peccata alterius. 6. 15.
 Iudex vt peccat interrogando, vel omittendo contra iuris ordinem. 6. 21.
 Iulius Cesar licet malus fuit gloriosus. 4. 6.
 Iustitia quodam respectu moralium virtutum maxima. 5. 46.
 Iustus non est qui facit iustitiam, nisi id faciat, quia iustum est. 5. 13.

Laudare

I N D E X

L

- L**audare parum ut peius, quam multum vituperare. *concl. 6. num. 6.*
 Laudans medicus, & laudatus aegrotus ut peccant. *1. 8.*
 Laudans alium false apud Principes, magnates, & prouisores, &c. *concl. 1. 17.*
 Laudans false confessurus quid debeat facere. *1. 24.*
 Laudanti false scribendo ut respondendum. *1. 20.*
 Laudandi cur plurimum qui competituris iucundè conuiuunt, &c. *concl. 1. num. 14.*
 Laudatus false Princeps quare letari potest. *1. 6.*
 Laudatus false cur fere semper venialiter peccat. *1. 10.*
 Laudatus false ut perplexus, & quomodo se soluet. *1. 20.*
 Laus Dei, & laus Iouis contraria. *1. 1.*
 Laus panegyrica, & encomia quæ videri mala. *1. 3.*
 Laus falsa male procuratur, & vera ut querenda. *1. 11.*
 Laus falsa quæ non probanda, nec refellenda exterius. *1. 24.*
 Laus interdum nocet, iniuria semper prodest. *2. 1.*
 Laus paucorum laudatorum maior, quam multorum vulgi. *3. 1.*
 Laus quo respectu Deo conueniat. *3. 14.*
 Laus, & alia quatuor bona honorabilia maiora meritis, ut quis capit iuste. *concl. 5. 46.*
 Laudis definitio, & auctarium eius. *3. 4.*
 Laudis appetitus de re falsa, vel quæ non est non semper mortifer, contra Abulensem. *5. 55.*
 Laudi falsæ alteri damnosæ ut contradicendum. *1. 23.*
 Laudem falsam procurans ut male carpit summates nolentes id facere. *concl. 1. 24.*
 Laudem conscientie nostræ sufficere sic intelligitur. *3. 1. & 3.*
 Laudem summam non esse nullam ambire laudem. *5. 11.*
 Laudem sui operis in finem aptum licet querere. *5. 50.*
 Laudem, & honorem colendo maiores, ut magis errant. *5. 59.*
 Laude de falsa non gaudendum, sed tristandum. *1. 1.*
 Laude falsa quatenus est talis non gaudendum. *1. 4.*
 Laude falsa non gaudens gaudet precedenti, & sequenti eam. *1. 5.*
 Laude falsa gaudens coruo Aesopico similis. *1. 10.*
 Laude, gloriaq; humana licet gaudere. *5. 1.*
 Lauream literariam meritam licitè quis petit, sed non immeritam. *1. 11.*
 Laureæ myneruales cur scholasticis prestatæ. *5. 4.*
 Laureandus & laureans ut peccant laudando. *1. 7.*
 Laureandis, siue doctorandis fauens ut peccat. *1. 12.*
 Lex nature vetat, ut quis quæ ignorat exercent. *1. 17.*

Legis

I N D E X

- Legis cuius obseruantiam metus non excusat. *præl. 3. 2.*
 Libellum famosum, vel chartam alterius peccata continentem diuulgans, vel legens ut peccat. *6. 14.*
 Litteras alienas, qui prodit, legit, reserat ut peccat. *6. 16.*
 Loquendum regulariter lingua loquenti aptiore. *prælud. 1. nu. 1.*
 Loqui, & tacere nec semper, nec nunquam bona. *præl. 2. nu. 4.*
 Loquutio in se dignior silentio. *præl. 2. num. 3.*

M

- M**agnanimus quam laudem, & honorem contemnit. *5. 58.*
 Magnanimo quare res parua honor, & eius munera. *5. 7.*
 Maiora minoribus ex causa postponi. *præl. 1. nu. 1.*
 Mardocheus quomodo gloriosus. *4. 7.*
 Martyres victorum genus optimum. *4. 25.*
 S. Martinus male despectus ob despicabilem vultum. *5. 65.*
 Mendacij pater diabolus. *1. 1.*
 Mendacium materiale, formale, & mixtum. *6. 6.*
 Medicus sic absque peccato laudet aegrotum. *1. 8.*
 Meritum ut sit quidpiam in quem finem referendum. *5. 38.*
 Metu agere vel parere ut bonum, vel malum. *5. 16.*
 Milites ut errant patiendo multos labores. *4. 25.*
 Missa ab audienda, vel non audienda excusat metus mortis, nisi cum implicatur negatio fidei necessario confitenda. *præl. 3. nu. 4.*
 Missam nouam facienti an plus dari possit. *5. 36.*
 Missam audiens, horas dicens, &c. peccando ut satisfacit. *5. 73.*
 Monachis non conuertat malas solus. *2. 14.*
 Monachi quales famam tueri debeant. *2. 15.*
 Moriendum non pro honore, sed pro virtute eo digna. *4. 25.*
 Moriendum pro honore quo sensu verum. *4. 21. & 25.*
 Mors & vulnus ut pecunia restituuntur. *4. 21. & 26.*
 Morte non peiora infamia, & adulterium. *4. 21.*
 Morte peius peccatum presertim mortiferum. *4. 22.*
 Mulierem suspectam retinens ut peccat non peccando. *2. 14.*
 Murmuratio, siue detractio, & contumelia ut differunt. *6. 4.*
 Murmuratio, siue detractio materialis, formalis, & mixta. *6. 6.*
 Murmurator, siue detractor, est odibilis Deo. *6. 1.*
 Murmurator ut in puluerem sufflans cur magis cecatur. *6. 2.*

- N**obiles, & diuites cur nihil bene discunt, nisi equitare. *1. 13.*
 S. Nicolaus tres virgines clam dotauit. *4. 1.*

Occasio

- O**ccasio peccandi vt nemini danda. concl. 2. num. 7. & 10.
 Occasio qua propinqua peccandi vitanda. 6. 10.
 Officia etiam secularia qui male procurant alijs. 1. 13.
 Opera eo meliora, quo a temporarijs puriora. 5. 25.
 Opera quorum finis Deus, meliora alijs, quorum finis aliud. 5. 25.
 Opera bona qua solius relationis defectu mala. 5. 42.
 Opprobrium meum amputa vt intelligendum. 5. 6. & 9.
 Opus melius, quo finis melior, & peius, quo finis peior. 5. 43.
 Otium querendum negotium cur suscipiendum. 2. 5.

- P**apa, Rex, & Episcopus vt non peccant titulis suis laudati. 1. 7.
 Papa, Reges, & alij cur recte suscipiant ostula pedum, manuum, & alios honores, eo solo, quod eis debentur. 5. 47.
 Papæ cum consecratur incenditur quadam stupa, qua ardente dicitur ei, sic transit gloria mundi. 5. 77.
 Parens doceat filios, vt non ament principaliter bona honoraria; sed virtutem cui debentur illa, referenda ea in Deum, vel alium finem aptum. conclus. 5. num. 60.
 Patrem magis quis debet diligere quam filium. 4. 23.
 Paulinum illud, mihi pro minimo est, & c. vt intelligendum. 5. 9.
 Penitentia bene mortalis acta vt pluris est, quam venialiter acta. 5. 76.
 Peccatum minus si lateat, maius si pateat. 1. 6.
 Peccatum mortiferum est, quod notabiliter separat a charitate Dei, vel proximi. 1. 17.
 Peccatum mortiferum vt est vt munere in damnum proximi. 1. 18.
 Peccatum quatenus tale irreferibile in Deum. 5. 44.
 Peccatum secretum, nisi noceat alijs non detegendum. 6. 21.
 Peccati proximi pigendum, & eius miserendum. 1. 2.
 Peccato dolendum, & compatiendum. 2. 7.
 Peccato vt est aliquid, & nihil an quis gaudere queat. 1. 4.
 Peccato veniali non queritur gratia, nec gloria. 5. 71.
 Peccato non impletur preceptum quoad gratiam. 5. 73.
 Peccat mortifere, licet non sit excommunicatus, qui gaudet de percussione mortifera clerici, etiam sine suo mandato facta. 2. 6.
 Peccat cur magis vir, quam mulier ceteris paribus. 6. 9.
 Peccare volentes honorem ob diuitias, pulchritudinem, & alia bona corporalia, vel pecuniaria, vel ornamenta eorum, sine aliquo iusto virtutis respectu. 5. 62.

- Peccandi periculo se exponens vt peccat cum exemplis. concl. 6. num. 9.
 Periculis olea caput ornatum. 5. 4.
 Periculum qui amat, peribit in illo. 1. 19.
 Philippus Maceda iniurijs benefacibat. 2. 2.
 Platonem solum pluris facit Socrates, quam reliquos. 4. 5.
 Poena indignè veniens vt delenda. 3. 4.
 Preceptum per peccatum etiam mortale impletur ad hunc effectum. 5. 72.
 Preceptum, & finis precepti non sunt communiter idem. 5. 72.
 Predicans ob laudem non meretur laureolam. 5. 7.
 Predicator, Doctor, & qui alij famam defendent. 2. 15.

- R**egina Galliarum Blanca genere de Hispano prognata exemplar christianissimum ad filios christianè instituendos. 5. 60.
 Relatio virtualis in finem aptum qua est, & que sufficit. 5. 40.
 Respondendum & non respondendum stulto vt conciliantur. 2. 11.
 Restituere famam quis non teneatur. 6. 16.
 Restitutio non fit cum honoris damno. 4. 19.
 Restitutio famæ vt est necessaria; & an compensari, & remitti possit; & an remissio generalis omnes includat. 6. 16.
 Reuelatio peccati confessi in vno tantum casu licita. 6. 18.
 Reuelatio delicti secreti correctionem præexigit. 6. 16.
 Reuerentia non est honor, & vt finis eius. 4. 13.
 Reuerentia definitio perpensa. 4. 8.
 Reuereri quomodo quis se ipsum potest. 4. 8.
 Reuereri, honorare, laudare, & glorificare sic se habent, vt posterius priori aliquid adijciat. 4. 14.
 Reus qui est ordine iuris rogatus, vt verum pandat. 6. 20.
 Reus regulariter non debet detegere consortes occultos. 6. 20.

- S**cientia sine conscientia res diabolica. 1. 14.
 Secretum vergens in alterius damnum vt celandum. 6. 24.
 Secreti, cuius relatio est detractio, & peccatum. 6. 18.
 Secreta ciuitatum, & exercituum reuelans vt peccat. 6. 19.
 Secreta peccata magna cum cautela reuelanda. 6. 23.
 Silentium valde laudatum. prel. 2. 1.
 Silentium vt seruat regulas Religionum. 6. 2.
 Silere, & loqui per se nec bona, nec mala. prel. 2. nu. 4.
 Silere, & loqui male consulunt mundus, caro, & Daemon. prel. 3. num. 1.
 Simulare se bonum, cum sit malus, peius quam esse malum. 1. 2.

I N D E X

Socrates iratus uxori dolenti, quod sine culpa damnabatur. concl. 3. num. 4.
Solius ad solam accessus ut peccatum. 2. 14.
Stultitię species credere de se plus alijs quàm sibi. 1. 23.
Superbia delictum maximum, cur primum, & vltimum. 2. 3.

T

Tacere, vel loqui quod bonum, vel malum. præl. 2. nu. 6.
Tacens virtutes alterius quis peccat. 6. 14.
Timore seruire Deo an bonum. 5. 21.

V

Vestes caudatę ut sunt damnatę. 5. 69.
*Vestium sumptus clericorum, & monachorum nimius multis damnatus
concl. 5. nu. 68.*
Virgo putatus, aut putata an iuste cellet corruptionem secretam. 1. 21.
Virtus est bona qualitas mentis, & c. 4. 17.
Virtute nemo abutitur, alijs vero sic. 4. 17.
Virtuti soli per se debetur honor, alijs vero per respectum ad ipsam. 5. 63.
Vita data tollitur per mortem dandam per mechiam. 4. 23.
Vitę tuendę cur maior cura quàm reliquorum. 4. 20.
Voto solenni paupertatis cui honori renunciatur. 5. 64.
Uxor mechata non tenetur se infamare ob hoc. 4. 19.

F I N I S.

R E G E S T V M.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q

Omnia folia. Q folium cum dimidiam.

